AUTHOR:

HEIDENREICH, JOANNE

TITLE:

DISSERTATIO IN CASUM ALTERUM...

PLACE:

MOGUNTIAE

DATE:

1890

Master Negative #

93-81234-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Heidenreich, Johann.
Dissertatio in casum alterum constitutionis Pii p. IX... 1869 quo excommunicatione l. s. episcopo reservata plectuntur "procurantes. abortum effectu secuto". Moguntiae 1890. O. 104p.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-30-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DISSERTATIO

IN CASUM ALTERUM

CONSTITUTIONIS PII P. IX.

d. d. 12. OCTOB. 1869,

QUO EXCOMMUNICATIONE L. S. EPISCOPO RESERVATA

PLECTUNTUR:

„PROCURANTES ABORTUM EFFECTU SECUTO,"

AUCTORE

Dr. JOANNE HEIDENREICH,

SACERDOTE IN CASTELLO MITWITZ.

MOGUNTIAE,
TYPIS JOANNIS FALK III.
1890.

Prooemium.

»Clare innotescit ac liquet . . . ., civilis humanitatis rationem solidis fundamentis destitui, nisi aeternis principiis veritatis et immutabilis recti iustique legibus innitatur, ac nisi hominum voluntates inter se sincera dilectio devinciat officiorumque inter eos vices ac rationes suaviter moderetur. Jamvero ecquis negare audeat, Ecclesiam esse, quae diffuso per gentes Evangelii praeconio, lucem veritatis inter efferatos populos et foedis superstitionibus imbutos adduxit eosque ad divinum rerum auctorem agnoscendum et sese respiciendos excitavit; quae servitutis calamitate sublata ad pristinam naturae nobilissimae dignitatem homines revocavit; quae in omnibus terrae plagis redemptionis signo explicato scientiis et artibus adductis aut suo tectis praesidio optimis caritatis institutis, queis omnis generis aerumnis consultum est, fundatis et in tutelam receptis ubique hominum genus privatim et publice excoluit, a squalore vindicavit et ad vitae formam humanae dignitati ac spei consentaneam omni studio compusuit?

Quod si quis sanae mentis hanc ipsam, qua vivimus, aetatem Religioni et Ecclesiae Christi infensissimam cum iis temporibus auspicatissimis conferat, quibus Ecclesia uti mater a gentibus colebatur, omnino comperiet, aetatem hanc nostram perturbationibus et demolitionibus plenam recte ac rapide in suam perniciem ruere; ea vero tempora optimis institutis, vitae tranquilitate, opibus et prosperitate eo magis floruisse, quo Ecclesiae regiminis ac legum sese observantiores populi exhibuerint.

Quod si plurima ea, quae memoravimus, bona ac Ecclesiae ministerio et salutari ope profecta vera sunt humanitatis civilis opera ac decora, tantum abest, ut Ecclesia Christi ab ea abhorreat eamve respuat, ut ad sese potius altricis magistrae et matris ejus laudem omnino censeat pertinere.

Quin imo illud civilis humanitatis genus, quod sanctis Ecclesiae doctrinis et legibus ex adverso repugnet, non alius nisi civilis cultus figmentum et abs re nomen inane putandum est.

Cuius rei manifesto sunt argumento populi illi, queis evangelica lux non affulsit, quorum in vita fucus quidam humanioris cultus conspici potuit, at solida et vera eius bona non viguerunt. Haudquaquam sane civilis vitae perfectio ea ducenda est, qua legitima potestas audacter contemnitur; neque ea libertas reputanda, quae effreni errorum propagatione, pravis cupiditatibus libere explendis, impunitate flagitiorum et scelerum, oppressione optimorum civium cuiusque ordinis turpiter et misere grassatur.

Cum enim erronea, prava et absona haec sint, non eam vim profecto habent, ut humanam familiam perficiant et prosperitate fortunent, miseros enim facit populos peccatum [1]); sed omnino necesse est, ut mentibus et cordibus corruptis, ipsa in omnem labem pondere suo populos detrudant, rectum quemque ordinem labefactent . . .«

Haecce verba a »supremae iustitiae throno« (Xistus V.) nempe ab Leone Papa XIII in constitutione »Inscrutabili Dei« d. d. 21. April. 1878 prolata cum alia hominum vitia tum imprimis feriunt »effraenatam perditissimorum hominum contra divinae legis praeceptum de non occidendo peccandi audaciam atque licentiam, sanctissimis legibus variisque constitutionibus saepius repressam, . . . qui immaturos foetus intra materna viscera adhuc latentes crudelissime necare non verentur. Quis enim non detestetur tam exsecrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod gravius est, etiam animarum certa iactura sequitur? Quis non gravissimis suppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine insignitam, pro qua redimenda Christus Dominus noster pretiosum sanguinem fudit, aeternae capacem beatitudinis et ad consortium Angelorum destinatam a beata Dei visione exclusit, reparationem coelestium sedium, quantum in ipso fuit, impedivit, Deo servitium suae creaturae ademit? Qui liberos prius vita privavit, quam illi a natura propriam lucem accipere aut se materni custodia corporis ab efferata saevitia tegere potuerint [2]) ?«

Magnopere quidem querendum est, quod neque spiritu christiano neque studiis humanitatis crescentibus vitium illud immane a Xisto V. verbis illis acribus quidem sed maxime aptis notatum ex visceribus populorum penitus exstirpari potuit.

Quinimo his temporibus spiritu christiano decrescente in

1) Prov. 14, 24.
2) Xistus V. in constitutione: »Effraenatam« d. d. 29. Octob. 1588.

quaedam genera hominum una cum infidelitate et superstitione ethnica vitium illud ethnicum rediisse pluresque in dies homines inficere videtur. Quam ad rem haud scio an praeter spiritum illum hominum minus christianum multum contulerit, quod multi vel potius plurimi medici ejusmodi petitionibus non ita, ut oportet, obsistunt neque operae pretium jam esse ducunt deliberare, utrum liceat necne quavis de ratione manus ingerere in foetum in utero matris, imo potius operationes medicinales, quae mortem foetus animati certo ferunt, saepe etiam ex mediocribus causis honestas esse temere videntur supponere.

Atque etiam a theologis quaestiones de abortu et craniotomia huc spectantes varie iudicantur. Quamquam enim omnes consentiunt, foetum animatum sine causa sufficienti nunquam directe occidi licere, tamen qui theologiam moralem tradunt multum inter se discrepant, utrum omnino unquam causa sit sufficiens, ex qua — baptismate foetus in utero matris utique praemisso — craniotomia vel abortus — hic saepe etiam non praemisso baptismate — cum legibus moralibus conciliari possit. Attamen quis negarit, omnes istas quaestiones multum ad vitam moresque hominum conferre?

Neque oleum igitur neque operam perdere nobis videmur, cum de abortu et craniotomia compositis iis, quae a theologis et medicis timoratioribus accurate investigata sunt, novas instituere quaestiones conamur. Atque ut totam materiam penitus exhauriam primum historiam abortus et craniotomiae leviter perstringendum mihi videtur, deinde quaerendum, de quo ut subjecto in solvenda quaestione agatur, vel ut aliis verbis utar, disserere de animatione foetus; in capitibus posterioribus duobus disputare de abortu libidinoso et artificiali atque de mediis sanandi mulierem praegnantem aegrotantemque legibus moralibus consentaneis, denique de poenis ecclesiasticis in procurantes abortus.

Sit ergo

Caput I.

Synopsis historica.

Agendum videtur 1⁰ de abortus libidinosi, 2⁰ de abortus artificialis et 3⁰ de craniotomiae historia.

Synopsis abortus libidinosi historica.

1. Magnopere querendum est, quod homo anima rationali a Deo omnium Creatore rerum praeditus et inter omnes visibiles creaturas praestans, cum animalia rarissimo contra vivas, nunquam autem contra proles nondum natas, facere videantur, saevire possunt sublata charitate

in posteros, antequam in lucem editi sunt. Quod scelus naturae repugnans et immanissimum, violentam videlicet foetus ex utero matris expulsionem, priusquam infans separatus ab ea vivere possit, perpetratam, ut proles intereat, apud gentes luce revelationis orbatas in usu fuisse non est, cur miremur. Atque apud Romanos tam frequens et usitatum erat, ut Seneca [1]) in matre sua Helvetia laudaverit, quod nunquam eam foecunditatis ... puduisset, nunquam more aliorum intra viscera conceptas spes liberorum elisisset. Auctore Juvenale [2]) autem puerperae apud nobiles vix inveniebantur. Item constat inter omnes, patribus infantium plurium immunitatem aliquam ab oneribus publicis concessam fuisse et sex Germanici liberos habitos esso mirae fertilitatis [3]). Testis frequentis abortus apud Romanos est et Ovidius [4]):

> Nunc uterum vitiat, quae vult formosa videri
> Raraque in hoc aevo est, quae velit esse parens.

2. Apud Graecos idem nefandum scelus floruisse jam ex eo intellegas, quod apud illos primus invenitur, qui per litteras abortum tamquam licitum propugnaverit et docuerit, Hippocratem dico medicum [5]), et quod viros ceteroquin doctrina et conditione excellentissimos illud vindicare non pertaesum est.

Plato nempe [6]) et Aristoteles [7]) abortum verbis haud dubiis commendant, qua ex re facile intellexeris, quae in scelera humana ratio luminis divinae revelationis expers aberrare possit.

3. Apud Judaeos autem hanc luem rarissimam fuisse ex eo apparet, quod Moysis, qui scelera humana »legibus maxime strenuis prohibuit« de abortu voluntario legem non tulit [8]); quod multos liberos procreasse matri Hebraicae summae laudi erat; quod Messias ex gente Judaea nasciturus erat; quod denique virgo deflorata multabatur sive prolem ediderat sive secus. Quinimo mulier abortu procurato duplicis sceleris rea habebatur, scilicit necis et deminutionis

---

1) In consolatione ad matrem Helviam.
2) Sat. 9, 592.
3) *Zumpt*, Ueber den Stand der Bevölkerung Roms etc. S. 67 et *Meiners*. Geschichte der Entartung Roms etc. etc. Leipzig 1791. S. 98.
4) In eleg. allegor. »Nux.«
5) Opera Hippoc. ed. a Dr. *J. F. C. Grimm*, Glogaviae 1837, Aphorisma sect. V. verb. 31. 34.
6) De Republica 460 E. 461. A. B. C.
7) Pol. II. III. 6, 7.
8) Disputationes physiologico-theologicae etc. auctore *A. E.* Parisiis. 1884. pag. 105.

generis humani teste Flavio Josepho [1]). Tertullianus autem auctor est, licitum fuisse apud Hebraeos infantem interficere in partu capite nondum visibiliter in lucem edito et vita matris in maximo periculo versanti [2]).

4. Doctrina christiana denique crimen abortus delere omnibus modis [3]) enitebatur, ita ut medio aevo saltem apud catholicos id pauci perpetrarent. Nostra tamen aetate labefactata christiana fide, morum strenuitate, denuo crescere et divulgari videtur istud scelus abominandum, non minore adiutorio Materialismi philosophematis, cuius asseclis homo nil aliud quam animal facultatibus praeter cetera excellens est, quod ergo aliquo incommodo vel detrimento imminente interficere liceat. Suo iure est timendum, ne saepissime istud nefas in occulto clam perpetretur, cum non pauci sint, quos in publico illud exercere et commendare non pudeat! Nuntii ex America allati, quidquid humanitatis in homine est, maxime offendunt [4]). Sicut in America ita et in Gallia, paene dixerim in Europa universa sunt, qui operam dent et hoc sibi vitae genus proponant, ut abortum lucri causa procurent, ita ut veritatem vix attingas, si infantium numerum sic quotannis trucidatorum ad 2—3 millia aestimaveris. Quid quod magistratus quidam in Gallia, timens progressum multitudinis propter frequentiores partus, maritis abortum commendavit aliaque quinto et sexto decalogi praecepto prohibita [5]), quare non mirandum illud auctoris *Tardieu* [6]): »Le crime d'avortement, nous en avons les preuves, constitue une véritable industrie. C'est là une vérité tellement reconnue, que l'on désigne publiquement des maisons, òu les femmes sont assurées de trouver la funeste complicité, qu'elles reclament, et dont la notorieté est repandue jusqu'à l'étranger.«

5. In Germania autem, etsi illud nefandum scelus non tam aperte emergere audet, tamen a multis id quaestui haberi colligas ex eo, quod quoddammodo non paucas ephemerides et libellos invenias, quae, si perspexeris, verbis haud dubiis remedia aliaque

---

1) Adv. Apion. 2. 24.
2) de anima 25.
3) Vide infra concilia et leges a principibus latas.
4) cf. *Müller*, Der verlorene Sohn. Aus dem Englischen übersetzt; Freiburg 1880; pag. 168 et seqq. vid etiam »Le Monde« d. d. 25. Apr. 1878.
5) Dunoyer praefectus provinciae Sommensis a. 1833, contra quod episcopi Galliae vehementer protestaverunt cf. Journal des économ. tom. XIV. 375 ss. Perin. II. 57.
6) Étude medico-legale sur l'avortement ed. 1881.

adiutoria id perficiendi publice docent et commendant. Raro autem fit, ut ita in publico committatur illud crimen, ut supplicio legitimo puniri possit.

Imprimis autem hanc lucem apud habitatores urbium effeminatos vigere et in dies plus incrementi capere apparet ex notis in ephemeridibus nunc temporis in lucem editis, cum Dei gratia ruricolae eam plerumque nesciant.

6. Obiter adnotamus in domibus mulierum Turcarum abortum omni tempore vigere atque florere et perpatrari per foeminas hac re exuditas et ad procurandum constitutas [1]).

Abortus in arte medica historica synopsis.

1. Antiquissimis iam temporibus abortu in arte medica remedio obstetricii medici utebantur idque persaepe ex causis vilissimis, quod etsi querendum tamen non mirandum. Constat enim apud Romanos v. g. foetum interpretatum fuisse »portionem viscerum matris [2])« qui in utero est perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur quoties de commodis ipsius artus quaeritur. Jam Hippocrates commendat non solum, ut supra vidimus, libidinosum sed etiam artificialem abortum varia eum provocandi media afferens. Item *Mochion* [3]) aetate Hadriani. In libro Aetii, qui inscribitur »tetrabiblios«, enumerantur a magistra Aspasia permulta abortum provocandi remedia [4]), »si mulier ad gignendum foetum inepta est.« Aetius ipse scribit [5]): »quaedem mulieres, etiamsi concipiant, in partu tamen periclitantur, sive ob uteri parvitatem, sive ob colli ejusdem angustiam, atque hae sane optime fecerint, si a partu omnino caverint. At si conceperint, satius est foetum corrumpere.«

2. Percrebescente autem doctrina christiana publica saltem commendatio et demonstratio abortus evanuit. Apud Arabes tantum vigebat praxis taetra abortus. Rhazes in libro Helchavy [6]) et Avicenna (saeculo X.) abortum medicis suadent, »cum puella parva est, supra quam timetur mors ex partu« permultis remediis. Item Janus Damascenus proponit medium, quo recepto embryo descendit, sive sit

1) *Stöhr*, Handbuch der Pastoralmedicin, Freiburg 1878, p. 303.
2) fr. 7. D. de stat. hom. 1. 5.
3) Moschionis op. ed. F. O. Dervez. Viennae 1793.
4) Aetii medici graeci libri etc. per J. Cornarium conscripti. Basil 1542. S. XVI. cap. 18.
5) Idem: Aetii medici graeci contractae ex veteribus medicinae, Lugd. 1549, p. 961.
6) *Schröder*, Lehrbuch der Geburtshilfe, 6. Aufl., Bonn 1880, pag. 244.

vivus, sive mortuus [1]), et Perses Ali Ben Abbas [2]) tum abortum recommendat, si mulier »propter parvas matrices aut vulvas strictas« cum periculo vitae genitura sit.

3. Medio autem aevo apud christianas gentes etsi per nefarias mulieres in occulto abortus perpatrabatur, idque racissime [3]), artificialis tamen abortus respuebatur, ita ut dici possit, illum vocatum fuisse in oblivionem [4]), et El. Camerarius et J. Had. Slevogt, qui illum commendarunt, 1697 resp. 1710 [5]) essent »vox clamantis in deserto.« Britannis »meritum dubium« attribuendum est reduxisse in numerum operationum in partu gravi abortum.

4. Choragus erat Guielmus Cooper in libro, quem »Medicals observations and Inquiries«, London 1768, inscribebat; cui assentiebant John Aitken, Hull, Burns, Barlow, Dawis, Blundell [6]) et alii.

5. In Francogallia »Parisiensis medicinae Academia anno 1827 interrogata, utrum ad procurandam salutem praegnantis infirmae liceat ante naturalem praegnationis terminum provocare partum aut abortum foetus, uno ore ita respondit: L'Acadèmie pense, que la question ainsi posée est inconvenante, et que dans l'état actuel de la science il n'existe aucun cas où il soit nécessaire de provoquer l'avortement [7]).« Tamen plures medici obstetricii incipiebant patroni abortus fieri, sicuti Fodéré, Velpean, Cazeaux, Dubois, Stoltz, Chaquemier, Chailly [8]), haud paulum moti et confirmati definitione et declaratione eiusdem Parisiensis medicinae Academiae anno 1852 ex casu illi a Dr. *Lenoir* ad diiudicandum proposito [9]): »Meretrix aliqua nimis arcta, ut unquam prolem maturam ederet, cum praegnantem se apprehendisset, tertio circiter suo mense medicum adit, ut abortire eam faciat. Obtemperavit iste et res felicem eventum obtinuit. Ad priores amores rediit mulier, et aliquot interiectis mensibus, cum rursus concepisset, alius medici opera iterum exonerata est. Anno sequenti tertium medicum, Dr. Lenoir, ad eundem effectum adiit, qui licet haesitans, tamen duorum priorum exemplo animum sibi augens meretricem istam tertio abortire fecit, et mox

1) Practica J. Seraphionis (J. Damasc.) etc. Lugd. 1525.
2) *Capellmann*, De occisione foetus etc. Aachen 1875, pag. 1.
3) *Capellmann*, l. c. p. 2.
4) Vid. Gazette médicale 1843, 4. mars.
5) *H. J. Braam*, nonnulla de abortu arte provocato 1858, p. 11.
6) *Capellmann* de occis. foet. p. 2.
7) *A. E.*, l. c. p. 313.
8) *Schröder*, l. c. pag. 244.
9) *A. E.*, l. modo c. et seqq., ubi longe lateque res celeberrima enumeratur.

integram historiam in Academiae publica sessione palam narravit atque solemne circa factum istud iudicium expostulavit. Nonnullis turbulentis sessionibus praeterlapsis Academia declaravit: Considerant que dans le cas N . . . . M. le docteur, Lenoir s'appuyant sur l'exemple déjà donné par deux praticiens et lur l'avis de plusieurs consultants était suffisament autorisé à practiquer l'avortement.« (Agitur, animadverte, de meretrice!) Pauci medici etsi eruditissimi, qui abortum impugnabant »une opération, contraire à la morale et à la réligion: — elle nuit aux droits de la famille et à la société; elle est condamnée par les lois chez les peuples chrétiens; enfin elle n'est même pas excusable au point de la science [1]),« — sicuti D. Letenneur, Dr. Villeneuve, Dr. Rouxeau, sodales suae sententiae conciliare non potuerunt argumentis etsi solidissimis, ita ut Academia Bruxellienis abortum non solum licitum declararet, sed etiam medicum ad eundem procurandum teneri [2]), et Jacquemier a. 1867 in Dictionaire encyclopédique des sciences médicales [3]) pronuntiaret:

»Aujourd'hui qu'on n'hésite plus à interromper des ses premières phases une grossesse, qui n'eût pu arriver à son terme sans mettre en danger la vie de la femme enceinte; il n'est pas un médecin digne de ce nom, qui consentirait à rester volontairemeat un témoin inactif,« et alius in »Nouveau Dictionnaire de médecine et chirurgie [4]): L'avortement provoqué peut être considéré comme une des conquêtes de la chirurgie moderne.«

6. In Germania primus scientifice abortum defendit Mende [5]), quem sequebatur Kiwisch [6]). Anno 1826 Dr. Naegele die 22. Novembris in Universitate Heidelbergensi patronus abortus exstitit dissertatione: »de Jure vitae et necis, quod competit medico in partu,« attribuens imprimis matri jus abortum postulandi. »Ab eius (matris) ait, arbitrio pendet, utrum ad infantis sui vitam servandam de sua vita discrimen subire, aut infantis vitam pro suae vitae periculo profundere velit. Quod si vero rebus sic se habentibus mater infantis sui necandi, aut, ut hoc fiat, postulandi ius habet, et ipse medicus occisionis perficiendae ius habet. Eandem ob causam medico licet interdum abor-

1) Journal de la section de Medecine de la cociété Acad. du departement de la Loire inférieure, a. 1852 XXVIII vol. p. 46.
2) *A. E.*, l. c. pag. 328.
3) Paris 1867, tom. 7. p. 575.
4) vol. XXX. 1870.
5) Nonnulla ad dijudic. medic. sententias, Greifswalde 1802, p. 64.
6) Nonnulla ad operat. obstet. Wirceburg. 1802 pag. 104.

tum adiuvare, ubi matri, si graviditas ad legitimum finem usque perducatur, manifestum et inevitabile vitae discrimen subeundum est.« Taedium et repugnantia huius partus medii, quae initio medicos tenuit, ubi vita infantis vita matris aequalis pretii habetur [1]), desiit, ita ut fere omnes de partu etc. scriptores et doctores medici agant de abortu uti de medio partus in nonnullis casibus regulari et saepissime usitato. Scanzoni [2]) proponit et defendit 10, Corcelius et Huter 9, Lumpe 7, Späth 6, Schröder 5, Lange 4, Hohle et Horwitz 1 indicationes, quibus abortus exigitur.

Schröder affert etiam [3]) 8 methodos, quibus per medicos abortus provocari solet. Et cum auctor abortus artificialis recentioris aetatis nempe, Guielmus Cooper, expresse a Dr. Hunter petierit [4]): »nonne in casibus, ubi positive est cognitum, infantem suo tempore non gigni posse vivum via naturali, ratio et conscientia autorizent, ut salvetur mater, ad tentationes aptas provocare abortum,« et cum Maculay, qui primus abhinc circiter 120 annos partum praematurum in nonnullis casibus uti ex se apparet licitum proponebat, multos adversarios invenerit (Osiander, Stein, Jörg, Baudeloque, A. Dubois, Gardien etc. [5]), et Spiegelberg recentiori aetate probare conetur, praematurum arte partum non solum non prodesse, sed directe et matri et foetui nocere: asseclae abortus arficialis nunc non tanti esse putant, de eius liceitate disputare, sed eam praesumunt; quin immo asserunt »abortum arte provocatum i. e. interruptionem graviditatis morbum aliquem amovendi causa legitimam omnino et positivam basim habere [6]).«

7. Eo magis laudandi sunt viri timorati et eruditissimi, qui hunc errorem scientiae medicinalis cognoscunt et in publico et palam respuunt, uti Dr. Capellmann in opusculo iterum citato: De occisione foetus, et in libro Pastoralmedicin, et Dr. Stöhr, et Dr. E. v. Olfers libris item inscriptis, qui totam quaestionem pertractant ducti et docti principiis ex lumine naturali, iure naturali, doctrina christiana desumptis. Fortasse huc numerandus sit et Kilian [7]).

1) *Schröder*, l. c. pag. 256.
2) Dr. *Capellmann*, l. c. p. 3.
3) *Schröder*, l. c. pag. 256.
4) *Cooper*, l. c. vol. IV. p. 271.
5) *Horwitz*, Künstliche Frühgeburt und Abortus. Giesen 1881, pag. 2.
6) *Horwitz*, l. c. pag. 69.
7) Operat. part. Bonn 1849.

Synopsis craniotomiae historica.

Craniotomia, quae etiam perforatio, Cephalotripsia, Embryotomia, Sphenotresia, Transforatio, Spondylotomia etc. vocatur est operatio obstetricia, qua foetus vivus in utero matris interficitur, deinde eiicitur [1]). Etiam huius operationis mentionem iam facit Hippocrates (μάχαιρον, μάχαιρα, ἑλκυστήρ) et tum ea uti vult, si infans jam mortuus est [2]); item Celsus, qui describit »decapitationem infantis,« et Soranus. Apud medicos Arabes inveniri solet totum caput uberius de extractione foetus mortui tractans [3]), sicuti collectio permultorum instrumentorum ad eam perpatrandam aptorum. Hanc crudelissimam et inhumanissimam operationem et in infantibus adhuc vivis exercitam esse apud illos, nobis testis est doctissimus ille Rodrigue de Castro, qui dicit [4]): »Puer vivus dissecari nulla ratione debet, quamvis Avicenna, Aetius et Moschio id praecipiant. Non enim licet unum interficere alterius vitae gratia, sed implorato divino auxilio medicamentis insistendum.«

Crudelissime persaepe agebatur, et adhuc saeculo novissime peracto Deisch et Mittelhauser non erubescebant in longum et latum palam scelera sua enumerare [5]). Rarius eiusmodi operationes exercebantur, ex quo Ambroise Paré a. 1550 denuo contigit, ut infans in utero matris in pedes verteretur, et forceps inveniebatur [6]) ab J. Palfin 1723, ita ut nostris temporibus plerisque medicis displiceat et sit ultimum refugium non solum in vivis sed etiam mortuis infantibus [7]). Taedet enumerare varia instrumenta, quae ad hunc finem excogitabantur imprimis a Britannis (v. g. Kranioclaste, Craniotowy-forceps etc.; Forcipe perforatore dei Fratelli Lollini; Forcepscie a Vonhuevel etc., Cephalotrib a Scanzoni etc. [8]);)

1) Craniotomia est stricte interpretata nil aliud quam abortus artificialis. Cum autem plerumque abortus dicitur eiectio vivi foetus immaturi ex utero matris, quin antea infans in utero occidatur, craniotomia autem illa, in qua foetus in utero antea occiditur et dein extrahitur, admittamus distinctionem inter abortum et craniotomiam in nostro opusculo quoad verbum, non autem quoad rem.

2) L'embryotomie au point de vue théolog. et morale par le *P. A. Eschbach.* Paris 1876, pag. 15.

3) *Schröder*, l. c. pag. 333 seqq.

4) in libro quem: »De morbis mulierum« conscripsit, l. 4 c. 11.

5) *Schröder*, l. modo c.

6) *Capellmann*, l. c. pag. 4.

7) *Schröder*, l. modo c.

8) cf. *Schröder*, l. c. et pag. 350; Stiebel jr. M. f. G. B. 28, pag. 68; *Kidd.* (Dublin quart. J. May 1878, p. 383), *Wright*, Obstr. J. of Gread. Britain. Oct. 1874, pag. 425); *Limpson* (Sel. Obstr. Works I. 1871, p. 502).

et quibus chirurgus potius carnifex quam medicus esse videtur. Fere omnes auctores supra in abortu memorati et de perforatione tractant; adde eis: Ritgen, Busch, Kilian, Oehler, Michaelis, Schröder, Unger, Gerpe, Breisky, Trefurt, Credé, Chailly, Barnes, Guyon, Hubert etc. Et cum ineunte nostro saeculo perforatio modo tum licita esse videretur, si mors foetus iam certa esset, et, teste *Lauth* [1]), Academia Parisiensis medicinalis a. 1833 honorans Baudelocque expresse declararet, id fieri »pour l'invention d'un forceps applicable aux cas très-rares òu l'accouchement est rendu impossible par la déformation du bassin et à employer seulement auprès la mort du foetus,« haec operatio in Britannia et Gallia et infantibus vivis persaepe [2]), in Germania rarius exercetur ex variis indicationibus, inprimis tum, si restat modo perforatio aut sectio caesarea et mater hanc recusat eiusque salus accelerationem partus postulant [3]).

Viris supra laudatis, qui sicuti abortum artificialem et perforationem respuunt, adde Stein et Osiander, qui per 40 annos medici munere fungens ne semel quidem perforatione utebatur eamque dehonestantem artem obstetriciam habebat [4]). Quoad liceitatem perforationis, ex sese apparet licere foetu iam mortuo; utrum autem infante adhuc vivo, non una usque ad novissima semper inter theologos erat sententia. Sed haec quaestio, qua novissimis annis animi interdum valde movebantur [5]), nunc fere soluta videtur per S. Congregationem S. R. U. Inquisitionis responsum. Cum enim die 25. Maii 1882 quaesitum esset a Episcopo Petrocoricensi:

1) Del'embryothlasie, en particulier de la cephalotripsie, Strassbourg 1863, pag. 13 seqq.

2) *Schröder*, l. c. pag. 333.

3) *Capellmann*, l. c. p. 7.

4) *Schröder*, l. c.

5) Liceitatem craniotomiae defendebant juxta Pennachi De abortu et embryotomiae etc., Romae 1884 (l. c. pag. 31. 32): *Avanzinius*, acta S. Sedis vol. VII. pag. 285, 516. *Ballerini*; *D'Annibali*; *Apicella*, La Craniatomia considerata in riquardo alla morale; *Daniel Viconti*, L'embryotomia nei suoi rapport. colla Morale cattolica; *Victorius Constantini*, Institutiones theolog. morali edit. 1882 p. II. pag. 287, 288, et ipse Pennachi; liceitatem talis operationis impugnabat *Pacificus Ciarmadori*, Sulla questione morale promossa dal. ch. Pietro Avanzini. Dissertazione di D. Pacifico Ciarmadori, Professore di Teologia nel Seminario Vescovile di Sanseverino delle Marche; clarissimi Scriptores Ephemeridis: L'apologista cattolico di Mondovi 30. et 31. Juli 1873 atque prae caeteris *A Eschbach* ... Gallici Seminarii Romani Rector, L'embryotomia sotto il punto di vista theologico et morale. Roma 1880 (cf. et supra), demum *Ciolli Alexander*, Direttorio prattico del confessore novello. Siena 1883, pag. 518 et seqq.

...»3° An permittere potest, ut in suo Seminario tamquam probabilis doceatur nonnullorum recentiorum opinio, quod liceat infantem in utero matris occidere ad matrem relevandem, si alias mater et infans perituri sint;« respondebutur die 10. Decembris ei. a: »siquidem tertium cum sit obiectum plurium petitionum, quae ab aliis quoque Ordinariis transmissae sunt, adhuc penes Supremum hunc Ordinem in studiis est.« Die autem 21. Maii 1884 ex S. R. et U. Inquisitione Archiepiscopo Lugdunensi hoc responsum est: »Eminentissimi P. P. mecum inquisitores Generales in Congregatione generali habita feria IV. die 18. labentis Maii ad examen revocarunt dubium ab Eminentia tua propositum: An *tuto* doceri possit in scholis catholicis, licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, quando scilicet ea omissa mater et filius perituri sint, ea e contra admissa salvanda sit mater infante pereunte? Ac omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum, quae hac in re a peritis catholicis viris conscripta ac ab Eminentia tua huic Congregationi transmissa sunt, respondendum esse duxerunt: *Tuto doceri non posse.*« Cum autem craniotomia etsi non voce tamen re sit abortus, illam in nostra disputatione perstringere debemus.

Caput II.

De animatione foetus nota praeambula.

In diiudicanda gravi quaestione, num liceat ex causis certis praegnantiam personae aegrae interrumpere, ut mater adiuvetur, maxime sane refert scire, utrum foetus in utero iam animatus sit idque a quo momento, an novus homo in partu aut post partum anima rationali animetur. Nos quidem cum doctis hominibus recentioribus et medicis et theologis hoc sentimus, in ipso momento conceptionis personalis animam rationalem a Deo creari ovoque muliebri semine virili foecundato infundi, quod probare studebimus imprimis eo, quod omnibus sane temporibus docti huic sententiae faverunt, quod eadem cum S. Scriptura consentit, quod ex quibusdam magisterii ecclesiastici decretis consequi videtur, denique rationibus logico-speculativis. Deinde praecipuas eius opinionis objectiones respiciemus, universae autem quaestioni brevem opinionum de momento animationis foetus adhuc exortarum synopsin praemittemus.

Opiniones variae de animatione foetus.

1. Reiectis Pantheismi et Materialismi erroribus, quorum asseclae alteri hominem deificant, alteri autem bestiam faciunt, sicut et trichotomiae systemate [1]) relinquitur vera doctrina hominem constare ex anima rationali et corpore [2]). Corpus originem duxit ex hominis corpore ratione generationis; anima autem rationalis a Deo creatur et corpori hominis novi unitur — Creatianismus.

Sed initium vitae et exitus homini ignota sunt quoad tempus. Corpus et anima unita sunt unione physica, at quando haec unio physica fiat et solvatur, minime certis signis ipso temporis puncto nobis apparet. Et tamen ex perspicuitate huius rei permulta dependent. Quam enim quisque opinionem amplectitur, ex ea de natura abortus eiusque liceitate iudicium eius practicum manare necesse est. Sacerdotem denique, cui incumbit animarum cura actualis iuvat scire, num omnibus et singulis abortivis Baptismi sacramentum conferendum sit necne.

Propter ipsam rei difficultatem non est quod mireris, mira nimis et inenarrabilia tum apud veteres tum apud quosdam recentiores de animae in corpus adventu scripta et defensa inveniri. Satis nobis sit graviora systemata attulisse.

2. Ab ecclesia reprobata est opinio eorum, qui volunt animam longe ante formationem corporis existere et velut, per transcorporationem infundi in corpus humanum [3]). S. Gregorius Nyssenus per totu caput [4]) XXVIII, libri sui: »de hominis opificio« navat refutandae tali opinioni, quam S. Hieronymus nominat sententiam absurdam, et damnavit Concil. Const. II. [5]) Can. 1: »siquis fabulosam animarum praeexistentiam et, quae ex illa consequitur, monstruosam restitutionem asseruerit, anathema sit [6]).« Recentiori tempore revixit hic error opinione Leibnitzii-Bonnet: »Einschachtelungssystem.«

3. Asclepiades, Heraclides, Stoici nonnulli Cabbalistae (Ibbum) Aristoles, Democrites, Anaximenes, Empedocles, Leucippus [7]) docuisse referuntur animam nec foetui nec infanti inesse, sed infundi tempore pubertatis, id est post partum, quod recentiori aetate inter alios et Cartesius [8]) docuit.

1) cf. S. Thom. I. q. 76 a. 1.

2) Later. IV., Concil. Chalced., Concil. Vien. 1311, Symbol. Athanas. etc. Gen. II. 7; Math. 10. 28; Luc. 8, 55; 1 Cor. 7. 34 etc.

3) cf. Historisch-psycholog. Untersuchungen über den Ursprung und das Wesen der menschlichen Seele überhaupt und über die Beseelung des Kindes insbesondere von Dr. *Jos. Ennemoser*, II. Aufl. Stuttgart und Tübingsn 1851. pag. 6, 7, 23, 24 etc.

4) Patrol. Graec. to. XLIV. pag. 230 seqq.

5) Ep. 38.

6) *Denzinger*, Enchiridion etc. n. 187.

7) *Ennemoser*, l. c. pag. 9, 11, 12, 26, 33,

8) *Ennemoser*, l. c. pag. 7.

Juxta Averroem infans anima caret rationali, donec incipiat dicere patrem et matrem. Joannes Marcus, professor Pragensis existimabat, foetum animari tempore partus. Quinimo novissimis temporibus haec doctrina patronum habuit professorem Nasse, qui in ephemeride Anthropologiae 1824 edita articulo, qui inscribebatur: »de animatione infantis,« defendit animam uniri corpori post partum. Alii putabant foetum animari in partu [1]).

Quorum omnium propositiones reprobatae sunt iam per Innocentium XI. anno 1679 d. d. 2. Martii, qui reprobavit propositionem [2]):

»Videtur probabile omnem foetum (quamdiu in utero est) carere anima rationali et tunc primum incipere eandem habere cum paritur, ac proinde dicendum erit in nullo abortu homicidium committi [3]).«

4. Restat tertia sententia eaque vera animari corpus humanum anima rationali inter conceptionem materialem [4]) et partum. Ita nunc omnes. Sed magna et diuturna erat disceptatio, quo temporis instanti id fiat, utrum in conceptione ipsa an tempore sequenti, ita ut, sicut ait Angelus scholae [5]) »quum in embryone primo sit anima vegetativa tantum, quum perventum fuerit ad maiorem perfectionem, tollatur forma imperfecta et succedat ultima forma completissima, quae est anima rationalis.« Ex hac sententia functiones vitales, quae in embryone ante animationem per animam rationalem apparent, ut vegetatio et accretio, non procedunt ab anima foetus, sed ab anima matris ab alia vi formativa ab anima rationali distincta atque semini inhaerenti. De tempore autem, quo corpori jam formato et organizato anima rationalis copuletur, valde inter se discrepant. Plerique et medici et theologi et philophi arbitrati sunt, masculum animari circa diem quadragesimum, foeminam circa nonagesimum diem a conceptione.

Non alienum puto verba eiusmodi Aristotelis afferre, quum hic medio aevo ut magister in re philosophica et naturali haberetur eumque auctores caeteri sequerentur. »Cum foetus« ait [6]) »in utero formantur, foemina tardius quam mas perfectionem quarumque partium rcipit. Mas, qui quadragesimo die exierit, apparet magnitudine formicae maiusculae et membra iam inde discreta tum caetera omnia tum

1) *Ennemoser*, l. c. pag. 7.
2) prop. 35, *Denzinger*, l. c. n. 1052.
3) cf. Thom. I. q. 118. art. 2 ad 2.
4) Conceptio materialis est cohabitatio, usus matrimonii, conceptio personalis foecundatio ovi muliebris semine virili; si nil adnotatur, intelligas conceptionem in hoc sensu.
5) Quaest. disput. q. unic. de anima a. 9.
6) In libro de hist. l. 7. c. 3.

genitalia constant et oculi praegnantes. Sed foemina, quae intra tertium mensem eruperit, indistincta est: quae autem quartum adepta est mensem, distinctionis effigiem brevi tempore accipit ... Mares foetus magna ex parte circa quadragesimum diem dextro potius latere moventur, foemina sinistro circitur nonagesimum.« Praevaluit tamen sententia limitata, quam etiam S. Thomas amplectebatur et Coimbricenses asserebant [1]): »Communior veraque sententia est, in maribus absolvi formationem circa octogesimum.« Argumentum huius opinionis desumpta est ex sacra scriptura, quare prosequntur: »Quod ex optimo confirmatur, quia in veteri lege [2]) foemina, si masculum pareret, quadraginta diebus, si foeminam octoginta sese domo continebat, et a templo ingressu abstinebat. Hunc enim numerum divinarum litterarum interpretes ad imitationem naturae ac temporis, quo in utero corpus effingitur, praescriptum fuisse aiunt.« Sententiam hanc etiam plurimi moralistae in libris sunt secuti, ubi distingunt inter foetum animatum et inanimatum in incurrenda excommunicatione et irregularitate.

Vera et nostris temporibus communissima sententia est foetum animari in conceptionis instanti ideoque anima rationalis unicum principium formativum totius hominis esse. Quae doctrina ex antiquissimis temporibus habet defensores neque contraria sacris scripturis, definitionibus et praxi ecclesiae et nititur positivis et firmissimis rationibus. Sed de hisce omnibus uberius tranctandum.

Patroni opinionis, quae tenet animam in instanti conceptionis infundi in corpus ex antiquissimis temporibus usque ad hoc tempus.

1. Constat Traducianismum, etiam si de origine animae erravit, imprimis Tertullianum et Arnobium censuisse animam uniri corpori primo conceptionis instanti [3]). Huc etiam fortasse numerandus sit doctrina Praeexistentianismi Originis [4]), quam sententiam inter alios expresse refutatur Aeneas Gazaeus [5]).

Sed quia minime iuvat nostram thesim niti sententiis ab ecclesia (etsi non quoad hunc locum) damnatis transeamus ad testes non suspectos.

2. Inter occidentales patronos talis sententiae referunt [6]) impri-

1) De anima cp. 1. q. 4. a. 2.
2) Lev. cp. XII.
3) cf. Tert. de anima 19.
4) De principiis.
5) In libro: Theophrastus sive de animarum immortalitate et corporum resurrectione.
6) *A. E.*, Disputationes etc., l. c. p. 150.

mis Gennadium Massiliensem [1]), Pseudo-Augustinum [2]) et Cassiedoruum [3]).

3. Primus inter patres orientales afferendus est Gregorius Nyssenus, qui in libro praeclaro: »De hominis opificio,« imprimis capite duodetrigesimo et undetrigesimo [4]) quid in hac re sententiae tenuerit, clare pronuntiat.

»Fortassis,« ait, »ab instituto sermone alienum non fuerit, si in id, quod de animo et corpore passim in ecclesia controvertitur, inquiramus.

Quidam enim superioris memoriae doctores animos hominum quasi quandam nationem seorsum quadam in republica existere longe ante corpora tradunt . . .

Alii contra seriei creationis, qua formatus est homo, a Mose descriptae inhaerendo, animum corpore ortu posteriorem esse aiunt . . . Utraque opinio cum reprehensionem mereatur, tam eorum qui animos proprio quodam in statu ante corpora vivere nugantur, quam qui eos post corpora primum condi existimant, operae pretium fuerit in omnia studiose inquirere, quae in explicandis utriusque partis decretis in medium afferuntur« . . . Et reiecta utraque sententia prosequitur: »Itaque sic concludamus, ut esse partis utriusque doctrinam aeque abiiciendam pronuntiemus. Nostra vero hac tota in re sententia, media inter opinionem utramque via incedendo ipsam ad veritatem sese diriget, est enim huiusmodi: Animos neque secundum Graecae sapientiae errorem una cum universitate in orbem agitatos redditosque per vitiorum contaminationem graviores, cum pares cursu celerrimo poli moti nequeant in terram delabi, neque corporis causa tum primum oriri, cum iam illud instar luteae cujusdam statuae sit conformatum. Nam ea ratione natura intelligentia praedita tuteo figmento deterior foret.« (Cp. XXIX.) *Sed cum unus et idem homo sit qui corpore et animo constat, unum esse communeque tribuendum ei dicimus exsistendi principium, ne parte hac seipso prior altera iunior sit et posterior* . . . ut in homine, qui aetatem ad integram pervenit et inter grandiores censetur, affectiones animae jam manifesto apparent, sic ortus nostri initio, prout tum res postulat, ita sese convenienter actiones animae declarant in eo quod ipse sibi de materie in alvo matris deposita domicilium aptissimum naturae suae fabricat. *Nam fieri non posse de rationibus certis colligimus, ut aliena in aedificia commode animus commigret, sicut fieri non potest, ut signum impressum cerae diversam ad sculpturam aptetur* . . .«

1) De ecclesiasticis dogmatibus cp. 18—20. *Migne*, l. c. t. 58 pag. 979—1000.

2) Lib. de spiritu et anima cap. 9.

3) De anima sive de ratione animae. *Migne*, l. c. t. 70. p. 1279—1308.

4) XXVIII: Adversus eos, qui animos ante corpora tradunt existere, vel contra corpora priusquam animos esse condita. Tabulis etiam consentanea de animorum migrationibus doctrina evertitur; XXIX: Idem esse cum animo tum corpori exsistendi principium probatur: cf. *Migne*, Patrolog. Graec. t. XLIV. pag. 230 seqq.

4. Eandem sententiam applectebatur, ut minime mirum, Basilius frater Gregorii Nysseni, cuius tres epistolae ad Amphilochium ducuntur ad epistolas, quae dicuntur canonicae, et fons iuris ecclesiastici in oriente habentur [1]).

Basilius censet [2]): »Quae de industria foetum corrumpit, caedis poenas luat. Formati vel informis subtilitas a nobis non attenditur.« Et Glossarius huius loci, Balsamo patriarcha Antiochenus, declarat: »Hoc autem dictum est propter eos qui dicunt, quod semen in matricem deiectum non statim formatur in hominem, sed prius quidem sanguis, deinde in carnem humanam concrescit, deinde effingitur et formatur in membra et partes, non fit caedes quando abortio facta fuerit foetus, qui nondum est formatus [3]).«

5. *Lactantius* [4]), *Hieronymus* [5]), *Hilarius* [5]), *Cyrillus* [5]), *Theodoretus* [5]) et *S. Maximus*, abbas ille doctissimus, erant egregii patroni huius sententiae, quod, quantum ad hunc, apparet ex libro Maximi scripto de variis difficil. locis etc. [6]), ubi exclamat: »Post corpora existere animas, o isti, dicere facile est et cuiusvis valentis, at ratione probare, quod dicitur, perquam difficile est atque operosum . . .

Si enim id, quod secundum vos in generationis humanae materia ponitur, inanimatum omnino est, sequitur necessario, ut etiam vitalis nimirum potestatis sit expers. Nam quod anima, quoque modo comparata fuerit, caret, id omni vitali privatum est virtute. Quodsi animae eiusque vitalis potestatis et virtutis plane expers est, mortuum esse statuitur, neque alitur neque crescit, neque ullo modo subsistere poterit.«

6. Etiam Meletius defendit hanc sententiam in libro, qui inscribitur: Elucubratio synoptica de natura hominis [7]): »Anima vero ab

1) Dr. *Nirschl*, Lehrbuch der Patrologie und Patristik. Mainz 1883. vol. II. pag. 159.

2) S. Basil ad Amphil. ep. apud. *Migne*, l. c. t. CXXXVIII. pag. 587.

3) cf. *Migne*, l. c. to. 32. pag. 219—1112.

4) De opificio Dei cp. 19. cf. *Nirschl*, l. c. vol. I. pag. 373.

5) *Ennemoser*, l. c. pag. 24.

6) *Migne*, to. XCI. vol. 1333 et seqq.

7) *Migne*, l. c. t. 64. pag. 1087.

initio cum semine, ut sapientissime Gregorius scriptum reliquit, cum corpore contexitur etc.«

7. Haec sententia, quae medico aevo obumbrata videtur doctrina Aristotelis iam adducta, in lucem denuo lata et firmissimis, pro illo et magnam partem etiam nostro tempore, confirmata augmentis et defensa est per Th. Fienum Lovaniensem medicum, P. Hieronymum Florentinium Lucen. congregationis Matris Dei clericum regularem et Paulum Zaechiam, Innocentii X. protomedicum [1]).

a) Fienus defendit in libro: de formatrice foetus, a. 1620 thesim: animam rationalem infundi tertia die conceptionis, quam quindecim conclusionibus affirmat, cum applausu multorum doctissimorum virorum.

b) Non paulo post an. 1658 P. Hieronymus theologus eruditissimus zelo ductus et amore animarum abortivorum conscripsit opusculum et parochis et medicis commendavit, cui titulus: »De hominibus dubiis sive abortivis baptizandis. Pia prothesis, olim sub Lugdunensi prelo anno 1658 edita a nullo prius asserta, unica tunc disputatione, postea in posteriore editione Lugdunensi anno 1675 tribus superadditis disputationibus consistens, quarum tertia argumento desumpto a nova Constitutione Alexandri Papae VII. de Immaculata Deiparae conceptione.«

Erat supradictus P. Hieronymus Florentinus, qui tot argumentis sententiis reiectis contrariis de animatione probabile reddit, foetum quocunque tempore ex utero matris excussum saltem sub conditione baptizandum esse, et S. C. Ind. hanc sententiam non censuravit, dummodo »auctor initio declararet, se nihil in praesenti materia definiendo dicere atque neminem, quod praxim attinet, sub mortali obligare, sed tantum rationes speculativas id suadentes exponere [2]).« Editio modo citata continet initio XXXIX favorabiles censuras, unde non falso concludas, hanc sententiam tempore illo, quo hoc opusculum in lucem primo editum est, i. e. a. 1658 fere omnes doctos amplexos esse. Etsi (quoniam in hoc agitur de re, quae valde pertinet etiam ad medicos) duae tantum Facultates medicae, universitatis Viennensis nempe et Pragensis [3]) in illis XXXIX censuris reperiuntur,

1) cf. *A. E.*, l. c. pag. 161 seqq.
2) Editio: August. Vindel. 1761, pag. I.
3) Quarum prima censuit: Huius (P. Hier.) opinio penitus nova per IV. nostri Collegii doctores accurate relecta et multis argumentis in utramque partem discussa tandem scrupulis et obiectionibus omnibus remotis unanimi omnium nostrum consensu etiam ex divino charitatis praecepto meruit applausum et approbationem . . . probabili assertione statuimus facta spermaticae materiae fermentatione seu geniturae transmutatione post paucas horas vel paucos dies embryone animam rationalem infundi. (Censura II. l. c. pag. IX.)

id thesi, quae defendebatur, non detrectabat; nam maximi momenti sunt censurae favorabiles quinque theologicarum universitatum facultatum aliorumque doctissimorum vivorum, inquibus *Carameulis* [1]), qui et duabus epistolis rem enixius defendit, *Martinez* [2]) etc. Assecla huius doctrinae imprimis fuisse videtur Societas Jesu, quae decem, et collegium Salmanticensum, quod tredecim nominibus egregiis eminet. Juvat solum censuram »illustrissimorum P. P. theologorum celeberrimae Universitatis Parisiensis Sorbonensis,« cuius iudicium ipsos pontifices summos in difficilioribus causis postulasse constat, transcribere: »Librum, cui titulus est: disputatio de ministrando baptismo foetibus abortivorum, non sine magna voluptate legimus, vir religiosissime, nec non in eam, quam in decima praesertim et undecima sectionibus proponis explicasque thesim: foetus humanos quocunque tempore venerint ad lucem a die conceptionis sub conditione saltem baptizandos esse, diligenter inquisivimus, illam in publicis exercitationibus dignissimo sacrae facultatis Syndico ac tamquam veram propugnari curavimus [3]).

c. Transeamus ad tertium illius temporis acrem defensorem animam in ipso primo conceptionis momento a Deo creari creandoque infundi, qui imprimis notabilis conditione vitae quam tenebat, ad celeberrimum protomedicum Papae Innocentii X., Zachiam, qui 1661 typis mandavit opus Alexandro VII. dedicatum, cui titulus: »Quaestiones medicolegales« Lugd., reiiciens opinionem usque eo communissimam et probans thesim: Foetum humanum nulla anima ullo in tempore dotari nisi rationali, eamque in ipso primo conceptionis momento a Deo creatam et infusam recipere. Ex conditione vitae supradicta huius auctoris et dedicatione operis ab Alexandro recepta concludere possis, iam tunc hanc sententiam placuisse ecclesiae magisterio, ideoque minime mirum eandem magis atque magis propagatam, ita ut S. Alphonsus scripserit [4]): »illum (baptismum) sub conditione sine dubio ministrandum, quondocunque apparet dubium de vita prolis. Hinc optime censet Cardenas . . . Roncaglia Mazzotta . . . et La Croix cum aliis A. A. gravissimis, omnes foetus abortivos . . . semper esse baptizandos sub conditione, si vivant, maxime cum hodie vigeat opinio non sine plausu a peritis recepta, quod foetus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies anima

1) Censura VII. et IX. l. c.
2) Censura XXII. l. c.
3) l. c. pag. XIV. cens. V.
4) Theol. moral lib. V. n. 124.

informentur.« Item *Gangiamila*[1]) affirmavit, sua aetate (1745) hanc sententiam fere universalem inter medicos factam esse et iam antea *Galenus*[2]) ait: »unam oportere esse animam magis intelligo, quae et nos formet et quae singulis partibus nunc utatur« et Michael Alberti medicus Germanicus a. 1725 asserit: »Equidem id firmiter assero quod a primis conceptionis initiis anima rationalis in foetu adsit[3]).«

Supersedeo ex recentiori tempore argumentare, quoniam satis superque constat, perpaucos patronos antiquatae de animatione sententiae inveniri ideoque medicos etiam timoratos omnino hanc quaestionem finitam habere[4]).

Haec doctrina est consonans sacris scripturis.

Cum aggredimur doctrinam animam infundi in ipso conceptionis momento non repugnare sacris libris probare, imprimis praemissa sit nota, sacros libros per se non esse, sicuti inter omnes constat, libros doctrinales de rebus naturalibus ideoque non expresse eas et directe docere, sed primo loco continere illam solam omnibus necessariam scientiam vel sapientiam Deo omnipotenti placere et ingredi in vitam aeternam[5]), etsi non negetur, in illis multa quoad naturalia implicite inclusa, et saltem sacram scripturam esse ducem, directivam normam omnibus humanis doctrinis[6]).

Quod ad nostram thesim pertinet, illi loci, qui contrarii habentur, perfacile dissolvi possunt, aliosque reperias, ex quibus saltem indirectum argumentum desumas.

Obiicitur formatio primi homini, deinde Exod. XXI, 22 et 23; cf. Job 10, 10—12. Sed sine efficacia.

Fuerunt, qui ex descriptione Adae primi hominis creationis[7]) concluderent, inter formationem corporis et animationem eius spiraculo vitae factam aliquod temporis praeterlapsum esse eoque ostendi, quomodo posteriores homines formentur.

Jam s. Gregorius Nyssenus eiusmodi argumentum refutat[8]) per

1) In Sacra Embryologia l. I. c. 9.
2) Cl. Galenus de foetuum formatione libellus Cap. VI.
3) Systema. jurisp. med. cp. VI.
4) cf. Dr. *Capellmann*, de occisione foetus 1875; Dr. *Cazeaux*, discours du 10. fev. 1856; Dr. *Frèdault*, Physiologie générale, *Ennemoser*, l. c. etc.
5) cf. *Deutero.* 4, 19; *Chrysost.* Hom. VII. in Genes. p. 4. *Augustini*, de act. c. Fel. Manich. I. 10.
6) cf. Epist. *Pii IX.* ad. Archiep. Monac. 21. Dec. 1863.
7) Genes. 2, 7.
8) De hominis opif. l. c. pag. 230 et praecipue pag. 234.

totum caput XXIX, confirmans idem esse cum animo tum corpori exsistendi principium.

Item Hieronymus Florentinius supra citatus solvit talem obiectionem[1]) »haec sententia (scil. animari corpus aliquo tempore ex conceptione praeterlapso) videtur non male probari ex c. 10 Job vers. 10, 11 et 12, ubi describens primo loco s. Job tum primi hominis in paradiso formationem ex luto tum omnium deinde in utero matris generationem dicit: Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me et in pulverem reduces me: nonne sicut lac mulsiti me et sicut caseum me coagulasti etc. . . . Sed respondetur quod, licet in argumento assumantur multa tamquam certa, quae sunt valde dubia, et fortasse non vera, non tamen probant hanc sententiam, nam licet concedamus, Deum praelusisse in prima hominis creatione eiusdem naturali propagationi et licet vera sit sententia illorum Patrum, qui dicunt, prius formatum esse luteam illam statuam et deinde animatam, licet etiam demus organizatam fuisse interius, et non tantum figuratam exterius, haec tamen nec simul sumpta nec seorsim, concludunt, quod intentum. Et ut ab hoc ultimo incipiam, certum est, quod in luto tota illa diversitas partium interiorum consistit solum in maiori vel minori duritie, asperitate lenitate et mollitie eiusdem luti et varia delineatione et figuratione; ergo in accidentali tantum dispositione.

Deinde concessa illa Patrum sententia tamquam probabili, quod nimirum prius tempore corpus Adami sit a Deo formatum, nihil tamen infertur pro hac tertia sententia, quae asserit, ante trigesimum vel quadragesimum diem corpus humanum non animari anima rationali; nam ob Creatoris infinitam virtutem et omnipotentiam et ob perfectissimam creaturae subiectionem, cum tanta imo maxima celeritate facta est statuae illius formatio et praeparatio ad animam recipiendam . . . . quare si Deus voluit, ut hanc formationem imitaretur naturalis in utero generatio, solum infertur, quod brevissimo tempore praecesserit animae rationalis creationem et infusionem organizatio illa a s. Jobo descripta . . . . Praeterea ex auctoritate et ex modo, quo s. Job describit propagationem humanam non sequitur, quod prius tempore organizatio praecedat animationem, sed satis est, quod prius natura, ut etiam Pineda advertit, in ordine ad operationes, quas anima in suo subiecto exercet; quia respectu illarum corpus organicum habet rationem causae materialis« . . . . Recte advertit etiam alius auctor[2]): »Porro, ita subsumo, foetus humanus pelle,

1) l. c. pag. 14 et seqq.
2) *A. E.*, l. c. pag. 184 seq.

carnibus, ossibus et nervis nonnisi ad praegnationis mensem ultimum vestitus invenitur [1]). Ergo dicendum foret, . . . toto tempore anteriori animam rationalem nondum adfuisse, quod absurdum est et damnatum.«

Jobo eo loco minime in animo fuisse, ortum hominum describere, patet etiam ex cp. III, 3. ubi legitur: pereat . . . nox, in qua dictum est: Conceptus est homo.

Maioris momenti videtur esse Exod. 21, 22 et 23: »Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem praegnantem et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit et àrbitri iudicaverint, sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima.« Ita Vulgata. »Paraphrasis Chaldaica [2]) Onkelosi, et omnes, ut arbitror, versiones immediatae libri Exodi cum Vulgata conveniunt . . ., at versiones, quae originem ducunt ab Septuaginta, ut Syniaca, Exaplaris, Armenica etc., retinent versionem textus, prout apud Septuaginta habetur.« Septuaginta autem interpretes citatum versiculum ex hebraico textu ita veterunt: »Quod si litigabunt duo viri et percusserint mulierem praegnantem et exierit infans eius nondum formatus, detrimentum patietur, quantum indixerit vir mulieri et dabit cum honore. Quod si formatus fuerit, dabit animam pro anima [3]). Autor autem [4]) Disput. phys. tenet, Hebraicum . . . textum ad litteram ita verti: »Et cum vixati fuerint viri et percusserint mulierem praegnantem et egressi fuerint nati eius, et non fuerit mors, puniendo punientur, quemadmodum imposuerit super eum dominus mulieris, et dabit in iudicibus; et si mors fuerit, dabis animam pro anima.« Ex hac triplici versione allata emanat, textum esse *corruptum* ex eoque solidum argumentum neque pro opinione nostra neque contra desumi posse [5]).

Ex Levitici deinde capite duodecimo quoad formationem embryonum et infusionem animae argumentum desumi non potest; nam: »in textu Levitici nihil continetur, unde ad animationem foetus concludere possis. Quare iam inter veteres theologos *Lessius* [6]) hanc

1) »Manuel de médicine legale« p. 155: »un noyau d'ossification de la grandeur de un millimètre indique, que la conception date de 37 à 38 semainès.«

2) *Jos. Pennachi*, De abortu et embryotomia etc. Romae 1874, pag. 58.

3) *Pennachi*, l. c. pag. 57.

4) l. c. pag. 183.

5) cf. *Pennachi*, l. c. et *A. E.*, l. c.

6) De justit. et jure lib. 2. cp. 9. dub. 10.

opinionem tamquam omni rationabili fundamento destitutam reliquit eamque Debreyne nominat absurdam et ridiculam [1]).«

Sacra ergo scriptura non est contraria doctrinae, quae tenet animationem fieri in primo conceptus instanti; quin etiam insinuat eam. Praeter locum modo citatum apud *Job* [2]) legitur Ps. 50, 7: »ecce in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea.« Num vis hoc intelligere de foetu omnia rationali non animato? Si aliquantulum post cohabitationem et penetrationem seminis virilis in ovum muliebre conceptio personalis fieret, non diceretur: conceptus sum in iniquitatibus. II. Reg. 11, 5 refertur: et reversa (Bethsabee) est in domum suam concepto foetu mittensque nuntiavit David et ait: Concepi. P. Hieron. Florentinius, ubi de hoc loco tractat, ostendit, foetum in sacris litteris poni nonnisi pro foetu animato [3]).

Angelus domini annuntians Genetrici Mariae illum nuntium, quem expectaverunt iamdiu et Judaei et gentes, dixit [4]):

»Ecce concipies in utero et paries [5])« ; omnes doctores consentiunt: Cum filius Dei conceptus fuerit de spiritu sancto, ita ut corpus mediante anima assumpserit, corpus eius in instanti suae conceptionis animatum fuisse anima rationali [6]). Etsi conceptio Christi erat miraculosa [7]), hoc tantum attinet ad principium activum conceptionis: »virtus Abtissimi obumbrabit tibi [8]),« non autem ad conceptionis principium passivum neque formationem corporis Christi concepti, quare festum Annuntiationis B. M. V. (etiam f. *conceptionis* passivae *Christi*) celebratur 25. die Martii et f. partus Christi d. 25. Decemb.) [9]).

Sed sit de hoc mysterio non sumi posse argumentum pro nostra sententia, tamen nemo, opinor, negabit, id manare ex Luc. 1, 36: Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium [10]). Elisabeth enim in instanti, quo concepit, non massam carnalem v. g.

1) Essai sur la théolog. morale considérée dans ses rapports avec la physiologie et médicine. Paris 1868.

2) Job 3, 3.

3) l. c. pag. 55.

4) Luc. 1, 31.

5) cf. Is. 7, 14. ecce virgo concipiet et pariet filium.

6) Thom. III. q. 33. a 2. et q. 6. a 2 et 3.

7) Thomas III. q. 33. a 4.

8) Luc. 1, 35

9) cf. festum conceptionis Immac. B. M. V. 8. Dec. eiusque festum partus 8. Sept.; cf. *A. E*, l. c. pag. 197.

10) Unde etiam concludi possit apud Luc. 1, 31, et Jes. 7, 14 filium esse obiectum verbi et concipere et parere.

concepit, sed filium, hominem, id est, foetus conceptus erat a primo instanti conceptionis animatus anima rationali.

Etsi, quod iam supra diximus, argumentum firmum et omne dubium excludens, de qua re agimus, ex sacris libris secundum finem et dispositionem eorum sumi non posit, tamen demonstrari posse videtur non repugnare, quin imo insinuare nostram thesim. Transeamus ad infallibile Ecclesiae magisterium, interpretem sacrae Scripturae assistentia Spiritus Sancti infallibilem.

Magisterium ecclesiae.

Pius IX. summus pontifex »d. d. VIII. Decembr. 1854 in basilica Vaticana ingenti sanctae Romanae ecclesiae patrum Cardinalium et episcoporum ex dissitis etiam regionibus adstante coetu universoque plaudente orbe solemniter pronuntiavit ac definivit: »Doctrinam quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari Dei privilegio ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, ac proinde ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam [1]).«

Jam R. P. Hieron. Florentinus supra laudatus alteram et tertiam et quartam disputationem ediderat, in quibus, in primis in tertia et quarta denuo thesim, omnes abortivos esse baptizandos saltem sub conditione, confirmavit argumento desumpto ex Constitutione Alexandri VII. in causa immaculatae conceptionis B. M. V. Agitur videlicet de conceptione passiva, non activa, quae iam ex antiquissimis temporibus et apud orientales et apud occidentales celebratur die 8. (6. vel 9.) Dec. Alexandro non in animo erat definire, sed favebat sententiae immaculatae conceptionis. Nostris autem temporibus argumentum ex definitione immaculatae Conceptionis non refutabile emergit, quoniam constat, »tempus, quo Is. virgo fuit in utero s. Annae fuit omnino naturale et iuxta naturae leges ordinatum [2]).« Quodsi B. V. Maria a primo instanti conceptionis animata fuit anima rationali et id iuxta legem naturae ordinata, omnis homo animari debet aequali modo anima modo rationali a primo instanti vitae suae. Quod etiam deducitur ex nomine huius festi apud orientales antiquo tempore usitato, videlicet conceptio sanctae Annae, etc. et ex officio ecclesiae, quae exsultans repetit: »Immaculata conceptio est hodie« etc. etc.

Obiectum solum huius festi dignum non esse massam foedidam,

1) Breviarum Rom. d. d. 8. Dec. lect. VI. sub finem.
2) *Florent.*, l. c. p. 165 sect. III., cf. *A. E.*, l. c. p. 196 et seq.

sed B. Mariam Virginem ipsam constat. Indirecte ergo infallibile Ecclesiae magisterium sanxit, in primo instanti conceptionis infundi homini novo animam rationalem, cum praeter praeservationem B. M. V. a peccato originali nihil aliud mirum sit in eius conceptione passiva.

Non alienum mihi videtur afferre, quod definitum est de relatione animae et corporis. Concil. Viennense »doctrinam, vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis sit forma, velut eroneam ac veritati catholicae inimicam« . . . reprobavit [1]).

Lateranense V. sanxit »Hoc sacro approbante concilio damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse . . ., cum illa . . . vere per se et essentialiter humani corporis forma existat [2]).«

Deinde Pius Papa IX. Brevi de libris et doctrina Güntheri ad Cardinal. archiepisc. Colon. d. 15. Jun. 1857 scripsit: »Noscimus, eisdem libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera et per se atque immediata corporis forma [3])« . . Anima rationalis est igitur forma substantialis corporis humani. Quid est forma substantialis? Forma substantialis producit ens in suo esse, dat esse simpliciter et ideo per eius adventum dicitur aliquid simpliciter generari et per eius recessum simpliciter corrumpi [4]).

Forma substantiali homo fit ens actu; ens actu autem est foetus ex conceptione, non pars matris. Ergo homo in instanti conceptionis recipit formam suam informantem, quod etiam sequitur ex axiomate, fieri sequitur esse, et vice versa, unde *Gregorius Nyssenus* [5]): »Ipse (animus) sibi de materia in alvo matris deposita domicilium aptissimum . . . fabricat [6]).«

Rationes speculativae.

Proposuimus et probare conati sumus thesim: »Anima rationalis infunditur foetui in primo instanti conceptionis,« non diximus

1) *Denz.*, l. c. n. 409.
2) *Denz.*, l. c. n. 621.
3) *Denz.*, n. 1509.
4) *Thom.* 1. q. LXXVI. a. 4.
5) l. supra c.
6) Quod pertinet ad praxim ecclesiae, ex praecepto omnes abortivi baptizandi sunt quocunque tempore praegnationis ex matris utero eiiciuntur saltem sub conditione, dummodo non agatur de cruda massa carnea. Cf. Rituale Romanum.

cohabitationis. Conceptio est penetratio seminis virilis in ovum mulieris. Notum quidem est tempus cohabitationis, non autem conceptionis [1]).

Medici nondum perscrutati sunt relationem inter ovulationem et menstruationem. Incertum est, utrum id ovum, quod eiicitur in novissima menstruatione, foetetur an ovum proximae post cohabitationem menstruationis [2]). Processus enim conceptionis novi hominis ita fit: Post cohabitationem fertilem penetrat semen viri emissum lente per tubam ad ovarium, quod est ordinarius locus foetationis.

Constat inter medicos, semen etiamsi non occurrat ovo non continuo corrumpi, sed plures dies, vel etiam XIV ei inesse virtutum generandi.

In ipso autem instanti, in quo semen virile occurrit ovo mulieris maturo et in id penetrat, fit conceptio novi hominis et infunditur a Deo anima rationalis ut principium vitae novae.

Nam 1. continuo incipit, ut physiologi consentiunt, motus in ovo; moveri autem est vivere [3]). Ubi autem vivere, ibi necesse est, principium sit vitae, quod non potest esse extrinsecum v. g. principium vitae matris, sed intrisecum. »Aliqui [4]) dixerunt, operationes vitae, quae appareant in embryone, non esse ab anima eius, sed ab anima matris vel a virtute formativa, quae sit in semine. Quod falsum est. Opera enim vitae non possunt esse a principio extrinseco sicut sentire, nutriri, augeri: et ideo dicendum est, quod anima praeexistit in embryone, a principio quidem nutritiva, postmodum autem sensitiva, et tandem intellectiva.«

2. Postulare ergo debemus principium vitae aut animam, sive vegetativam et postea sensitivam et postea rationalem sive intellectivam, aut ab initio ipso unicum vitae principium, i. e. animam rationalem.

Animam vegetativam et sensitivam, quam sequitur corpore iam organizato, ut volunt nonnulli, anima rationalis, statuere impossibile est. Nam anima vegetativa aut a) traducitur paulatim in

1) cf. *Florentinus*, l. c. disp. I. sect. X; *Schröder*, Lehrbuch der Geburtshilfe. 1883, pag. 23.

2) *Vierordt*, Grundriss der Physiologie des Menschen, 5. Aufl., pag. 584; *Schröder*, opinatur, ovum quod foetetur produci sequenti menstruatione, quae autem non semper amplius fit.

Vierordt, videtur aliud sentire, quoniam l. c. explicat: primis diebus post menstruationem esse aptissimum tempus ad concipiendum, cum ovum sit modo emissum.

3) *Thom.* I. q. XVIII. art. 1 et 2 cf. *Capellmann:* De occisione foetus etc. 1875, p. 9. eiusdemque auct. Pastor med. 1881, p. 10.

4) *Thom.* I. q. 118 a. 2.

animam sensitivam et rationalem, aut b) corrumpitur et deinde subsequitur anima sensitiva et postea rationalis.

a) Primum est impossibile et videtur favere falsae, quae vocatur Darvinismus, doctrinae. Differentia enim, quae est inter animam vegetativam — sicuti v. g. in planta — et sensitivam — v. g. in bestiis — et rationalem, est essentialis, non accidentalis [1]) neque potest quidquam a suo esse traduci in aliud esse essentialiter differens.

b) Alteram sententiam defendere videtur s. Thomas, ut supra iam dictum est, etsi doctor angelicus non determinat tempus, quo cedit una anima et sequitur altera. Sed si, ut ponitur, anima cedit, sequitur in omnibus vivis mors non vita [2]). Si autem dixeris, mentem esse s. Thomae, formam minus perfectam — e. g. animam vegetativam — per formam meliorem — v. g. animam sensitivam — naturali progressu generationis compensari et restitui, hoc cadit in Traducianismum animae modo refutatum.

Deinde animadvertendum est, animam vegetativam sicuti et sensitivam non cedere ex corpore suo sed corrumpi simul cum corporibus, quae eis animantur. Praeterea et valet illud *Florentinii* [3]): »Hoc autem — cedere i. e. corrumpi animam vegetativam et sequi sensitivam — dici non potest; nam nulla forma substantialis (et anima vegetativa et sensitiva sunt forma substantialis plantarum vel bestiarum) corrumpitur in materia, nisi dispositiones propriae corrumpantur a dispositionibus contrariis formae incompossibilis: sed dispositiones praerequisitae ad animam rationalem non sunt illis contrariae imo convenientes, quia anima rationalis ipsis indiget, ut nutriat et sentiat. Ergo, si illae adsunt, a initio formationis adest etiam anima rationalis ab illis non distincta.«

Demum si foetus animaretur primo anima vegetativa, deinde sensitiva et postremo rationali, generaretur ab homine non homo sed planta, quae progressu naturali fieret bestia et homo. Nam generatio significat — in viventibus — originem alicuius viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem generantis [4]).

Adde: non oportet postulare pluritatem formarum, ubi una sufficit [5]). Sicuti inter vitam una forma, i. e. anima rationalis, fundamentum et principium est omnium operationum in homine apparen-

1) *Capellmann*, de occis. foetus etc. pag. 16. nota.

2) Impossibile esse plures animas simul in eodem corpore esse refutatur s. *Thom.* I. q. 76 a. 3. cf. q. 118 a 2. 2. et Concil. VIII. c. XI.

3) l. c. I. disp. III. pag. 26.

4) s. *Thom.*, l. c. 1 q. 27 a 2. et contra Gent. l. 4. c. 23.

5) cf. *Florent.*, l. c. disp. I. c, III. n. 12 infine.

tium, alioquin homo non esset ens singulare, ita et in fiendo. Nam eodem modo res et est et fit. Quare etiam Libertus Formandus animam vegetativam et sensitivam ut superfluam respuit[1]).

Si autem Aristoteles dicit hominem prius vivere vitam plantae, deinde animalis et tandem hominis, hoc intelligit non de principio vitae, sed de eius operationibus, ut optime idem Florentinius demonstrat[2]).

Unde etiam non valet dicere, animam rationalem non esse in foetu, quia eius actio non appareat; nam si hanc respicis, etiam dicere debes, animam rationalem infundi infantem iam aliquantum natum; deinde optime iam Gregorius Nyssen. scribit[3]): Nimirum ut in tritici grano vel quovis alio semine totam spicae vel frugum maturarum speciem potestate sicuti loquimur comprehensam dicimus, et herbam et culmum et internodia et fructum et aristas: cum nihil horum altero in natura prius reipsa exsistat, vel oriatur citius, sed naturali ordine tandem insita semini facultas ipsa appareat, nulla in semen alia se natura extrinsecus velut insinuante: sic etiam existimamus humano in semine, cum homo primum incipit oriri, facultatem naturalem contineri simul cum ipso excreatam. Hanc porro naturali quadam progressionis serie ad perfectionem sui contendentem paulatim se explicare ac patefacere, non quod extrinsecus aliquid recipiat, cuius vi ad eam sui perfectionem adipiscatur, sed propria vi ad eam paulatim proficiendos pervenit . . . . Nam ut in homine, qui aetatem ad integram pervenit, et inter grandiores censetur, affectiones animi iam manifesto apparent, sic ortus nostri initio, prout tum res postulat, ita sese convenienter actiones animi declarant« . .

Optime et cl. *Capellmann*[4]) ostendit, etiam intra hominis vitam extra uterum matris esse momenta et status, ubi videntur cessare operationes animae rationalis, v. g. in somno, quin quis ex eo deducere conetur absentiam animae rationalis[5]).

3. Praeterea, ut demonstretur animam rationalem esse unicum vitae homanae principium et in embryone, non abhorreat argumentum ex cessatione principii vitae in homine desumptum. Sicuti enim in morte anima rationali elapsa omnes functiones verae cessant, ita inchoant eodem principio[6]).

1) De anima l. 1. cp. II. art. 9 pag. 178 (*Ennemoser*. l. c. pag. 58).
2) l. c. pag. 23 et seqq.
3) De homin. opif. l. c. cp. 29 pag. 235, 238.
4) De occis. foetus. pag. 16 et seqq.
5) cf. *Ennemoser*, l. c. pag. 59, 62, 63.
6) *Florent.*, l. c. disp. I. sect. II. n. 18.

4. Nullum deinde invenitur tempus aptius, quo anima rationalis infundatur corpori quam tempus conceptus, ubi continuo incipit formatio, neque ulla est ratio, qua id impediatur.

Neque vilitas obstat novae creaturae. »Nam quod substantia spiritualis informet impuram materiam, neque physice neque moraliter detrahit illius dignitati, cum ex parte animae immaterialis et incorporeae non detur contactus quantitativus, . . . sed magis declaratur admirabilis Dei sapientia, quod gemmam pretiosissimam absque sui vilitate inter luteum vas collocaverit, sicut radius solis impura tangit neque tamen contaminatur[1]).«

Neque parvitas, ut patet ex sese, rei cui impertitur anima rationalis, ratio esse potest id fieri negandi. Nam primum non sine magna rei perspicuitate eiusque probandi robore affert *Florentinius*[2]) iuxta *Galenum*[3]) »quia sicut triticum v. g. ex tritici semine et alia similia ex similibus perfecte nascuntur: sic ex humano semine non nisi rationale animal nasci debet[4]).« Deinde scientia rerum naturalium, quae enti fere invisibili v. g. bacillo pulmonis, ut appellant etc., virtutem tam vehementem tribuit, non est, cur rideat, animam rationalem formantem infundi visibili ovo mulieris. Praeterea constat bestiolas esse, quae oculos subterfugiant, ita ut mediante tantum microscopio intueri eas liceat, quaeque tamen in suo gradu perfectionem suam teneant pluribus distinctis organis praeditae[5]).

5. Quod autem veteres reiecerunt sententiam ipso conceptus intanti animam rationalem infundi, inde factum est, quod de generationis processu partim erronee cogitaverunt.

Tenebant enim permulti eique physiologi »semen in matricem deiectum non statim formari in hominem, sed prius quidem fieri sanguinem, deinde in carnem humanam concrescere, deinde effingi et formari in membra et partes,« quare *Florentinius* scribit[6]) »sciendum . . . quod forte alicui incredibile videbitur, hominem non male inter ovipara animalia connumerari aliquo modo posse.«

6. Antiquatae postremo s. Thomae de infusione animae rationalis in corpus sententiae auctoritate argumento uti, quoniam eius doctrinam tamquam veram et catholicam sectari[7]) tuto pede possumus,

1) *Flor.* l. modo c. n. 3.
2) l. modo c. n. 18.
3) In libro: an quod in utero est animae c. 4 et 5.
4) cf. *A. E.*, l. c. pag. 192.
5) Animalia infusoria.
6) l. c. disp. I. sect. I. n. 11.
7) Bulla *Urbani IV.* »Verbo Dei.«

infallibili magisterio Ecclesiae testante[1]) non expedit; nam *Leo XIII.* l. modo c. in finem expresse dicit: »Vos omnes . . . quam enixe hortamur, ut . . . auream s. Thomae sapientiam restituatis. Sapientiam s. Th. dicimus: siquid enim est cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique modo non probabile, id nullo pacto in animo est, aetati nostrae ad imitandum proponi.«

Ex hisce argumentis obiter allatis luculenter, ut opinor, apparet animam rationalem in ipso instanti personalis (i. e. foecundationis ovuli foeminei spermate prolifico) non materialis (i. e. cohabitationis, eiaculationis seminis virilis in vaginam foemineam) conceptionis creari et infundi ovo mulieris formam informantem corporis humani ideoque embryonem ex hoc momento esse vere et debere haberi hominem. Quando conceptio personalis fiat, nos plerumque fugit; fieri potest paucis post nonnullos dies, saltem — ut videtur — post quattuordecim; documentum eam factam esse est vomitus mulieris, cessatio menstruationis etc. etc., etsi haec aliquando, veluti vomitus, omnino deesse possunt.

Praecognito de quo agitur subiecto transeamus ad rem ipsam deiudicandam ex principiis iuris naturalis, divini et humani.

Caput III.

Abortus libidinosus. Notae praeambulae.

Praemittendum nobis est, non de abortu involuntario, casuali nos hoc in capite agere, qui testibus doctissimis persaepe fit, praecipue primis diebus post conceptionem[2]) sicuti primis mensibus graviditatis, unde praeceptum veterum: »Parentes primis septem a conceptione diebus ac tempore partui proximo ad abstinendum a maritali congressu obligantur propter abortus timorem.«

Praeter naturalem praedispositionem, sicuti: iuventutem et aetatem nimis provectam, haereditatem . . ., *Debreyne* permultas causas disponentes[3]) et determinantes[4]) enumerat, quibus positis facillime abortus subsequi solet.

Neque tractamus de abortu indirecto, qui praeter intentionem agentis quovis modo evenit — de cuius liceitate et morali qualitate postea loco magis idoneo — sed agamus de abortu directo, voluntario,

1) cf. Aeterni Patris ep. enc. *Leonis XIII.*

2) *Debreyne*, Essai sur la theolog. moral. considéré dans ses rapports avec la physiologie et a medicine 1868, Paris, vol. I. pag. 202.

3) l. c. pag. 203.

4) pag. 204.

libidinoso, de industria et consulto provocato, i. e. de directa voluntaria eiectione vivi foetus eo gravidatis tempore, quo is a matre seclusus nondum vivere potest. Tale facinus prohiberi iure naturali, iure divino, iure humano demonstrare conabimur. Sit ergo

Abortus ante forum legis naturalis.

Supra demonstravimus, foetum ex primo instanti conceptionis personalis animari anima rationali ideoque hominem esse. Homini autem innocenti, — qui est foetus, — vitam eripere, quod fit abortu et craniotomia, vetari iure naturali, quis est qui neget?

Jus primum, potissimum naturale est vivere, quod *Lasson*[1]) nominet ius personalitatis, ius fundamentale . . . »Solchen Rechtsschutz geniesst schon die Frucht im Mutterleibe, die sich noch erst zum Menschen entwickeln soll. Der Embryo hat also anerkannt rechtlichen Anspruch gegen die eigene Mutter wie gegen Jedermann auf Nichtstörung seiner Entwickelung bis zur Geburtsreife.«

Similiter *Roeder*[2]) scribit pag. 7: »Die wesentlichen Rechte des Menschen als Einzelwesen und als Wurzelglied der Menschheit können nur verstanden werden, wenn man sie zurückführt auf das eine und ganze Recht, welches man . . . auch das Ur- und Grundrecht der Persönlichkeit oder der Menschheit nennt . . . Die Tödtung ist die Negation des Urrechtes, des Rechtes der Persönlichkeit ist die Herabsetzung des Selbst zum selbstlosen Wesen. Der Mensch hat das Recht der Selbsterhaltung, Selbstverwirklichung und Selbstbethätigung;« et pag. 22:

»Das irdische Leben hat unter allen äusseren Gegenständen des Rechtes den höchsten Werth. Die Erhaltung unseres Lebens lässt sich nicht trennen von der unseres Leibes.« et pag. 23. Obwohl das Entstehen des Lebens durch Zeugung allerdings als der Anfang seines Bestehens anzusehen ist, so bleibt es doch unmöglich dem noch ungezeugten Menschen schon Rechte auf seine Zeugung zuzuschreiben, wohl aber der ganzen Menschheit und ihrem Fortbestand; daher das Verbot der Unfruchtbarmachung, namentlich ist hier die Leibesfrucht zu erwähnen; denn mit dem Leben selbst kommt auch ein Recht zu leben, nicht blos dem gebornen Menschen, sondern auch dem erst gezeugten, also Schutz gegen jede frevelhafte, nicht durch höhere Gründe gerechtfertigte (?) Abtreibung oder Durchbohrung des Schädels.«

1) System der Rechtsphilosophie, 1882, pag. 545 seqq.

2) Grundzüge des Naturrechtes, 2. Aufl., 1860, vol. II. 1863.

Ita ergo docti iuris naturalis infanti ius vivendi tribuunt [1]). Unde et legis latores non dubitaverunt, postumis nonnulla iura v. g. hereditandi bona parentis vindicare; a fortiori ergo foetus ius vivendi sibi postulare potest, quo cedente omnia alia bona nil prosunt [2]). Ita v. g. codice civili in Francogallia [3]) ovo muliebri foecundato (»celui qui est conçu«) ius hereditandi attribuitur, i. e. non sola iura humana, sed etiam socialia [4]).

Huc referendum est, quod leges Germaniae ne postumus iure privetur prohibent, quominus defuncto marito eius uxor ante novem menses, si suspicari potest eam concepisse, denuo matrimonium ineat.

Adde, quod fere omnes et leges et legis doctores hominibus rationis expertibus, v. g. dementibus, senibus puerilibus, graviter vulneratis, qui etsi sanati, nihil amplius laborare possunt, etc. etc., ius vivendi auferre non audent, quin imo hisce potiorem legum tutelam impertiunt [5]), quoniam non est de essentia hominis, mentis compotem vel omnes et animi et corporis potentias in actum traducere potentem esse [6]). Quae tutela et ius vivendi iterum a fortiori attribuendum est foetui, qui eam aliis vehementius flagitat.

Abortus ante forum decalogi.

Praeceptum V. decalogi [7]) generaliter omnem occisionem hominis vetat: quum, quod mulier praegnans in utero gestat, homo sit et hic abortu [8]) occidatur, tale facinus prohibetur praecepto quinto et occisio foetus in utero matris verum et strictum homicidium est. Minime negamus fieri, ut interdum mulier putet se concepisse, cum quae dicuntur molae in utero eius sint; has ex utero eiicere, dummodo molas tantum esse certum sit, non vetari inter omnes constat [9]). Innocentius XI. anno 1679 d. d. 2. Martii reprobavit propositionem [10]):

1) Asseclae Materialismi et Pantheismi sibi ipsi contradicunt, ut etiam in multis aliis rebus, si tuitionem hominis nati homicidium notant, innati autem quavis ex causa licere affirmant.

2) *Röder*, l. c. p. 123.

3) Ars. 725.

4) Dr. *Capellmann*, De occisione foetus, p. 22.

5) Aliter *Fischer* ius nat. p. 93.

6) *Lasson*, l. c. p. 546: »weil solche Unglückliche in Wirklichkeit Personen sind und die Minutio der Personalqualität bei ihnen eine rein zufällige.«

7) Exod. XX, 13.

8) et craniotomia.

9) Caeteroquin expedit et ipsas molas dissecare, et inspicere, cum non semel in eis foetus inventos fuisse qui baptizari possunt et debent, experienta tetestur (*A. E.*, l. c. pag. 243).

10) pr. 35, *Denz.*, l. c. n. 1052.

»Videtur probabile, omnem foetum (quamdiu in utero est) carere anima rationali et tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac proinde dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi [1]).« Moralistae consentiunt. Ita e. g. *Michel* [2]) scribit: »Homicidium est atrocissima omnium iniustitiae species, prohibita, quia intrinsece mala, V. decalogi praecepto, ut adeo nonnisi inepte quis controvertere possit, an ex genere suo sit peccatum mortale. Nomine hominis intelligitur etiam foetus in ventre matris adhuc existens, postquam animatus est.« Quinimo veteres moralistae et canonistae sicuti iuris consulti, cum distinguere velint inter foetum animatum et inanimatum, tamen abortum foetus non animati dicunt homicidium anticipatum.

Andi v. g., ut ex omnibus unum afferam, *Laymann* [3]) . . . »Qui malitiose impedit, ne foetus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, non vere sed quasi homicidium committit ac mortaliter peccat . . . Ratio est, quam *Tertull.* attigit in Apologia c. 3: Homicidii festinatio est prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem; homo est, qui futurus est: nam fructus in semine est.« Severius diiudicat s. *Alphonsus* [4]): »Certum est, quod expellere foetum quamvis inanimatum per se est peccatum mortale, et expellens de homicidio tenetur« et *Gury* [5]) »Nunquam licet directe procurare abortum, etiamsi foetus supponeretur adhuc inanimatus. Ratio est, quia si animatus sit, est homicidium proprie dictum, si vero non sit animatus, est homicidium anticipatum. Foetus enim etiam non animatus ordinatur ad hominem formandum; ergo illius eiectio est homicidium anticipatum.«

Si de quibusvis homicidiis imprimis de huius generis illud Catechismi ex decreto Concil. Trident. de homicidio etsi non verbo tenus tamen re valet [6]).

Nam immanitas huius nefandi sceleris augetur:

1. conditione foetus; infans enim omnino se defendere non potest, neque cui iam ullam iniuriam intulit: quantae autem crudelitatis est, hominem omni adiutorio orbatum, in miserrima conditione versantem eumque innocentissimum persaepe immanissimo modo trucidare, in illa aetate ipsa, in qua ei nemo esse inimicus posse videtur?

2. facilitate id scelus impune perpatrandi; nam rarissimo res

1) cf. *Thom.* I. q. 118 art. 2 ad 2.

2) Theolog. can. moral. vol. II. Pars III. tr. III. §. 1. n. 1, 2.

3) Theolog. moral. Wirceburgi 1748. tom. I. lib. III. de just. tr. III. p. III. cp. IV. q. II.

4) l. c. IV. n. 394.

5) Compend. Theolog. moral. Romae 1878. to. I. n. 402.

6) Pars III. cp. VI. n. 15.

ad iudices saecularis perfertur, et perlata plerumque procurantes abortum non possunt puniri, etsi puniuntur poena non concordat facinori, ita ut eiusmodi homicidae minime deterreantur quinimo alliciantur, ut idem faciant;

3. impedita humani generis propagatione; nemo enim in dubium vocat, quin peccata luxuriae contra naturam consummatae, nempe pollutio voluntarie excitata seu mollities, onanismus sodomia (imperfecta et perfecta) et bestialitas[1]) ex sese sint mortalia imprimisque detestabilia et execranda malitiamque suam specificam praeter veneream illicitam delectationem desumant ex eo, quod repugnant et irritant finem generationis humanae. *Elbel*[2]) ait . . . . »Ratio est, quia semen humanum a natura ordinatur ad generationem; ergo illud effundere ob alium finem, repugnat ordini naturae[3]).«

Quo ergo magis nefandum et gravius a fortiori illud scelus est, quod vehementius quam omnia peccatorum luxuriae monstra et ex sese directius generationi hominis contradicat, quoniam enti novo iam inchoato essendi conditiones subtrahat idque de medio tollat. »Deinde, ut *Lessius*[4]) ait, in pollutione aliisque luxuriae peccatis tantum expellitur semen unius generis idque ex sede non ultima, sed instrumentaria, in abortu expellititur semen geminum, commixtum, elaboratum idque ex sede primaria et finali a natura ad hoc destinata[5]).« Quare ex unanimi moralistarum doctrina nunquam, etiamsi, ut putarunt, foetus non sit animatus[6]), licet ulli mulieri gravidae, ne vi quidem oppressae, remedium sumere, ut quacunque ex causa directe abortum procuret. *Godeau*[7]) scribit: »Docuere nonnulli, licite posse puellam, quae propria culpa gravida est effecta, procurare abortum, ut familiae suae infamiam ex partu secuturam devitet, dummodo foetus non sit animatus. Horrorem haec opinio omnibus incussit, qui humanitatis sensum habent; et illusoria omnino est exceptio, quam subiiciunt; non enim certo scitur, quo tempore foetus sit animatus . . . In hac vero incertitudine puella abortum procurans

---

1) *Lehmkuhl*, Theolog. moral. vol. I. Friburgi Brisg. 1885. n. 871.

2) Theol. mor. sacrament. August. Vindel. et Graecii 1733 p. IV. cf. 9 n. 254.

3) cf. *Michel*, l. c. p. III. tr. III. §. 1. n. 6 et *Gordeau*, Theol. moral. Aug. Vindel. 1774 pars. II. tr. I. sect. II. cp. VI.

4) de just. c. 9. dub. 10. n. 61 explicat.

5) cf. *Voit*, Theolog. moral. Wirceburgi 1763. P. I. tr. III. cp. V. §. II. cas. II. n. 668.

6) cf. *Tamburini*, Explicatio Decalogi. Venetio 1694. lib. VI. cp. II. §. 4. n. 1, 5, 6.

7) l. c.

homicidii committendi periculo se exponit; impedit enim, quominus suo foetui anima infundatur vel illum iam viventem ante abortum occidit, quae immanis est crudelitas. Potestne hoc nomine excusari, quod secutaram ex partu infamiam vitat? Haec infamia commissi peccati iusta est poena, quae poenitentiae spiritu est ferenda, non novo peccato vitanda[1]).«

4. Abortum ex parte parentis, cuius vi procuratus est, esse homicidium, ut aiunt theologi, qualificatum, parricidium, per se liquet. Unde *Reiffenstuel*[2]): »Homicidium aliud est simplex, aliud qualificatum. Huius posterioris generis est occisio parentum aut personarum propinquarum, et vulgo appellatur »parricidium«, includens specialem malitiae qualitatem sive circumstantias, quae non reperiuntur in simplici homicidio; sunt non solum contra iustitiam, sed etiam contra pietatem . . . n. 33. Huc accedit, si parens deliberate abortum foetus animati procurat;« et *Laymann*[3]): »qui foetum animatum enecat, vere ac proprie homicida est . . . Quin et parricida est, si parens animato foetui procurat abortum, teste S. Cypriano martyre lib. 2 epist. 8 ad Cornelium Papam apud Pamelium 44, ubi Novatum parricidii crimine sugillat, quod uxorem pedis calce incussa abortive fecit.«

5. Plerumque in abortu non solum temporalis foetus sed etiam vitae aeternae ammissio deploranda est. Illud nempe Johannis (3, 5): »nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei« constat ad omnes homines atque etiam ad hominem in utero matris existentem ibique abortu persaepe pereuntem pertinere.

---

1) cf. explicationes huius re in libris morum apud *Lessium*, l. c. n. 60; *Sanchez*, de matr. l. 9. disp. 20. n. 10; *Lugo*, tom. I. de iust. disp. 10. sect. 6 n. 131; *Cardenas*, in crisi diss. 22. c. 2. n. 12; *Moya*, tom. I. tr. 6. disp. 3. qu. 4; *Alph.* lib. IV. n. 394. cf. propositionem 34. ab *Innoc. XI.* domnatam: »Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.« (*Denzinger*, l. c. 1051). Docuerunt enim hanc thesim. teste Aug. Michele l. supra c. antea *Lezana*: in Summa to. 3. verb. abort. n. 5; *Trullench.*, in dec. to. 2. lib. 5. dub. 4. n. 1; *Torreblanca*, de magia lib. 4. c. 43. n. 10 et alii quattuor, quos allegat *Cardenas* in I. parte conf. Theol. disp. 14. c. 3. n. 26. Qua in re nempe nulla ex causa licere abortum omnes docent. Juvat adnotare etiam sententiam *Lehmkuhl* (l. c. vol. I. tr. II. cp. III. n. 849, 7; *Gury*, l. c. to. I. n. 398, cf. *Alph.* IV. n. 392, 394) procul dubio veram, licere, mulieri vi oppressae semen virile exceptum adhibitis mediis immediate post copulam expellere.

2) Theol. moral. Monachii 1722. tr. IX. dist. III. q. III. n. 31.

3) l. c. t. 1. lib. III. tr. III. p. III. cp. 4. n. 3.

Jam in Concilio Milevitano et Carthaginiensi a. 418 a Zosimo approbato patres congregati contra Pelagianos docuerunt[1]):

»Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat .... anathema sit.« Hanc doctrinam omni tempore Ecclesia tenuit. Plerumque autem fit, ut per se apparet, ut etiam in abortu nemo salutem saltem aeternam foetus respiciat impertiendo baptismum. Unde disserte queritur Xistus V. in Constitutione iam citata: »Effraenatam«: »Quis, ait, non detestetur tam exsecrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod gravius est, etiam animarum certa iactura sequitur? Quis non gravissimis supplicis damnet illius impietatem, qui animam, Dei imagine insignitam, pro qua redimenda Christus dominus noster pretiosum sanguinem fudit, aeternae capacem beatitudinis et ad consortium Angelorum destinatam, a beata Dei visione exclusit, reparationem coelestium sedium, quantum in ipso fuit, impedivit, Deo servitium suae creaturae ademit?« Adde, quod perquam difficile est, valide foetum in utero et primis praesertim mensibus conceptionis baptizari[2]).

Non solum iure naturali et praecepto divino abortus (et craniotomia) vetita sunt, sed etiam legibus humanis crimen notata sunt. Videamus, quaenam leges in abortum a magistratibus saecularibus et ecclesiasticis praecipuae latae sint.

Leges saeculares in abortum latae.

Non est cur miremur, quod veteres lumine supernaturalis revelationis orbati propter depravationem humani generis usque eo descenderint, ut sui et generis sui odiosi, ut supra vidimus, persaepe abortum perpatrarent, cum vere optimus quisque id permitteret. Unde nec mirum, quod leges in abortum aut non erant latae, aut etsi latae, nihil fere valebant.

Quoad Romanos »saeculo tandem post Ovidium et Senecam tertio iuris consulti et civitatum rectores primam contra abortum tulerunt legem: »Si mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum abigerit, constiterit eam in exilium praeses provinciae exiget[3]).«

1) *Denzinger*, l. c. n. 65.

2) Illud Ritualis Rom. praescriptum n. 16 nostris temporibus non iam posse sustineri vel saltum alio sensu debere intelligi, inter omnes convenit, cum mediante instrumento per os uteri infans in utero possit baptizari, cuius baptismi valor speculative quidem certus, practice vero dubius est. *Lemkuhl*, II. n. 74.

3) L. 8. ff. ad leg. Corn. de sic et venef. Dig. 48, 88.

In eos, qui mulieri foetum abegissent, statutum eodem tempore fuit: Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant, tamen, quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam relegantur[1]).«

Multo ante apud populum Dei procuratio abortus crimen notatum et vetitum erat. Nam in libro Exodi[2]) scriptum legimus: »Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem praegnantem et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, et arbitri iudicaverint, sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima.«

Septuaginta interpretes vero transtulerunt: »Quod si litigabunt duo viri et percusserint mulierem praegnantem et exierit infans eius non formatus, detrimentum patietur quantum indixerit vir mulieris... Quod si formatus fuerit, dabit animam pro anima,« ita ut »hac lege non solum eos, qui abortum fortuito casu, sed etiam eos, qui consilio excitarent, aut ab ipsis interpretibus aut seriore demum tempore spectatos esse, Philo et Josephus testantur[3]).«

Flavius enim Josephus scribit[4]), »Vetat lex, ne qua mulier susceptum semen aut eiiciat aut extingnat; quae secus facit, quo liberorum interfectrice habere vult perinde, ac si re ipsa et foetus vitam oppresserit et generis sui propagationem inhibuerit;« et Philo Alexandrinus commentans textum Exodi XXI: »Quodsi quis rixando cum muliere gravida pugnos in ventrem inflixerit, ita ut abortus sequatur, si abortivum informe fuerit, mulctetur tum propter violentiam, tum quia fuit impedimento naturae exorsae opificium hominis, animalis pulcherrimi. Quod si formatus foetus membra et in ordinem digesta habuerit, moriatur percussor; iam enim erat homo, qui in naturae officina interemptus est, nondum ab eo prolatus in lucem, similis statuae latenti apud fictorem suum, et nihil aliud expectanti quam dum libeat.«

Doctrina autem christiana propagata mox leges humaniores latae sunt infanti in utero existenti. Apud Wisigothos haec lex valebat[5]): »Si quis mulieri praegnanti potionem ad abortum aut pro necando infante dederit, occidatur... Si in utero habens aut potionem ad aborsum acceperit, aut aliquo quocunque modo extinguere partum praesumpserit, mox provinciae iudex non solum operatricem

1) *A. E.*, l. c. pag. 209.

2) 21, 22, 23.

3) *A. E.*, l. c. pag. 211.

4) lib. II. contra Appinionem cp. 24.

5) *A. E.*, l. c. p. 213.

criminis huius publica morte condemnet, aut si vitae reservare voluerit, omnem visionem oculorum eius non moretur extinguere; sed etiam, si maritus eius talia iussisse vel permisisse patuerit, eundem etiam vindictae simili subdere non recuset.« Unde apud Hispanos mulier huius criminis rea viva sepeliebatur.

In Germania imperator Carolus Magnus lege 133. statuerat non gladium pro expulso foetu inanimato, quia non verum homicidium, sed permisit arbitrio iudicis poenam; si autem a foemina expellatur partus nondum animatus, iudices circa poenam dictandam iuris consultos etc. consulant [1]).

Henricus II., rex Gallorum, duabus legibus severis in abortum consuluit, expresse in prima an. 1555 questus, quod talis infans privaretur s. sacramento baptismi, et damnari praescripsit feminam abortu procurato ad supplicium extremum et mortem [2]). Anno 1708 a Ludovico XIV. renovata decreta haec fuerunt. Quibus insuper parochis praecipiebatur, ut scriptum harum legum publicae denuntiationis testimonium procuratoribus regis omni trimestri exhiberent. Contra delinquentes statuebatur, »qu'ils pourraient y être contraints par la saisie de leur temporel.«

Adhuc valet in Gallia art. 317. Codicis: »quiconque par aliments, breuvages, medicaments, violences, ou par tout autre moyen aura provoqué l'avortement d'une femme enceinte, soit qu'elle y ait consenti ou non, sera puni de la réclusion. La même peine sera prononcée contre la femme, qui se sera procuré l'avortement à ellemême, ou qui aura consenti à faire usage des moyens à elle indiqués ou administrés à cet effet, si l'avortement n'en est suivi.«

In Italia codice poenali Albertino art. 543 sqq. sic contra procurantes abortum definitum est: »chiunque con alimenti, bevande, medicinali, violenze o con qualunque altro mezzo avrà procurato con effetto l'aborto di una donna incinta, se questa, vi abbia acconsentito, sara punito colla reclusione non minore di anni cette, od anche cô'lavori forzati per anni dieci.

La stessa pena sara institta alla donna, che da se medesima avrà procurato con effetto l'aborto od avrà acconsentito a far uso di mezzi, pequali è segnito l'aborto.

Se la donna non vi avrà acconsentito, il colpevole sarà punito colla pena dei lavori forzati à tempo [3]).«

Leopoldus anno 1786 codice criminali Tusco sanxit, ut crimen

1) *Michel*, l. supra c. n. 2, 13.
2) *A. E.*, pag. 213 et 214.
3) *Scavini*, l. c. to. II. tr. VII. disp. II. cp. II. a. I. §. 4.

abortus effectu secuto et in matre et in soiciis ut homicidium multandum esset, quovis gestationis tempore id committeretur [1]).

Codex Bavariae poenalis statuit [2]):

243. »Eine Schwangere, die rechtswidrig durch äussere oder innere Mittel ihre Frucht im Mutterleibe tödtet oder vor der gehörigen Reife abtreibt, soll mit Gefängniss nicht unter 3 Jahren bestraft werden.

Wer in rechtswidriger Absicht einer Schwangeren die Mittel zur Tödtung oder Abtreibung der Frucht verschafft, oder mit ihrer Einwilligung solche Mittel an ihr angewendet hat, wird, wenn dadurch der bezeichnete Erfolg herbeigeführt worden ist, mit der nämlichen Strafe belegt . . .«

244. »Wer aus eigennütziger Absicht in mehr als 2 Fällen schwangeren Personen Mittel zur Tödtung oder Abtreibung der Frucht verschafft oder mit ihrer Einwilligung solche Mittel an ihnen angewendet hat, ist wegen gewerbsmässiger Kinderabtreibung mit Zuchthaus bis zu 12 Jahren zu bestrafen.«

245. »Wer die Leibesfrucht einer Schwangeren ohne deren Einwilligung rechtswidrig tödtet oder abtreibt, ist mit Zuchthaus bis zu 16 Jahren zu bestrafen.«

Codex Imperii Germani poenalis in procurantes abortum sanxit [3]):

218. »Eine Schwangere, welche ihre Frucht vorsätzlich abtreibt oder im Mutterleibe tödtet, wird mit Zuchthaus bis zu 5 Jahren bestraft. Sind mildernde Umstände vorhanden, so tritt Gefängnissstrafe nicht unter 6 Monaten ein. Dieselben Strafvorschriften finden auf denjenigen Anwendung, welcher mit Einwilligung der Schwangeren die Mittel zu der Abtreibung oder Tödtung bei ihr angewendet oder ihr beigebracht hat.«

219. »Mit Zuchthaus bis zu 10 Jahren wird bestraft, wer einer Schwangeren, welche ihre Frucht abgetrieben oder getödtet hat, gegen Entgelt die Mittel hiezu verschafft, bei ihr angewendet oder ihr beigebracht hat.«

220. »Wer die Leibesfrucht einer Schwangeren ohne deren Wissen und Willen vorsätzlich abtreibt oder tödtet, wird mit Zuchthaus nicht unter 2 Jahren bestraft. Ist durch die Handlung der

1) Rheinisch de Abortus procuratione; dissert. inaugural. Wirceburgi 1836.
2) Strafgesetzbuch für das Königreich Bayern. Würzburg 1862. 4. Bd. pag. 59, 60.
3) Strafgesetzbuch für das Deutsche Reich. ef. Würzburg 1876. 46. Bd. IV. Abth. 1. Lief. pag. 45.

Tod der Schwangeren verursacht worden, so tritt Zuchthausstrafe nicht unter 10 Jahren oder lebenslängliche Zuchthausstrafe ein.«

Leges ecclesiasticae in abortum latae[1]).

Primam legem in nefastum abortus crimen a principibus ecclesiae statutam invenio in canone S. Basilii in epistola ad Amphilochium scripta: »Quae de industria foetum corrupit, caedis poenis luat. Formati autem vel informis subtilitas a nobis non attenditur[2]).« Anno 306. Concilium Eliberitanum decrevit can. 63: »Si qua mulier per adulterium absente marito conceperit idque post facinus occiderit, placuit, ne in fine dandam esse communionem, eo quod geminaverit scelus.«

Quam poenam a. 314 concilium Ancyranum moderavit: »de mulieribus, quae agunt, ut partus utero conceptos excutiant, antiqua Concilii Illiberitani definitio usque ad exitum vitae eas ab ecclesia removet; humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundum praefixos gradus poenitentiae largiamur.« Etiam Concilium Trullanum a. 692 in procurantes abortum consulit c. 91. In Concilio Wormaticensi an. 868 sancitum est. (cp. 35): »Mulieres, quae ante temporis plenitudinem conceptus utero infantes voluntate excutiunt, ut homicidae procul dubio iudicandae sunt.« Concilium Guarmaciense statuit[3]): »Si aliquis causa explendae libidinis vel odii meditatione homini aut mulieri aliquid fecerit vel ad potandum dederit, ut non possit generare aut concipere vel nasci suboles, ut homicida teneatur[4]).«

Xistus Papa V. lapsa christiana disciplina severius in eos »qui immaturos foetus intra materna viscera adhuc latentes crudelissime necare non verebantur« statuit Constitutione: »Effraenatam[5])«: Nos igitur, ... hoc malum, quantum viribus nobis a Domino traditis contendere possumus, nostris potissimum temporibus exterminare volentes: omnes et quoscunque tam viros quam mulieres, cuiuscunque status, gradus, ordinis ac conditionis etiam clericos saeculares, vel cuiusvis ordinis regulares, quavis dignitate et praeeminentia ecclesiastica vel mundana

1) Cum craniotomia re nil aliud ac abortus, apparet illam plecti legibus in abortum latis. Ideoque corruunt exclamationes *Pennachi*, l. c. pag. 69: »Nonne Ecclesia a Tertulliani tempore ad nos nunquam eiusmodi chirurgicam operationem damnavit? Quae autem de causa non damnavit dum e contrario damnavit sexientis (?) abortum.«

2) *Migne*, Patrol. gr. t. 138 col. 587.

3) Decret. *Greg.*, l. V. t. XII. cp. 5, cf. et notam.

4) conf. et c. 20. C. 2. q. 5; c. 20. de homicidio (V. 12).

5) d. d. 29. Octob. 1588.

fulgentes, qui de caetero per se aut interpositas personas abortus seu foetus immaturi tam animati quam etiam inanimati, formati vel informis eiectionem procuraverint percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus laboribusque mulieri praegnanti impositis aut aliis etiam incognitis vel maxime exquisitis rationibus, ita ut reipsa abortus inde secutus fuerit, ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint, poenas tam divino quam humano iure, tum per canonicas sanctiones et apostolicas constitutiones quam civilia iura adversus veros homicidas, qui homicidium voluntarium actu et reipsa patraverint (quorum omnium tenores his nostris litteris pro expressis et ad verbum insertis habemus) eo ipso incurrere, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus et ordinamus, ipsasque poenas, leges et constitutiones ad casus praefatos extendimus.

Eos vero, qui clerici fuerint, omni privilegio clericali, officiis, dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis, quae sic vacatura nostrae et Sedis Apostolicae dispositioni perpetuo reservamus, ipso facto privamus, et in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus, adeo ut illi, qui hoc delictum commiserint, non secus atque ii, qui sua voluntate homicidium perpetraverint, iuxta Concilii Tridentini decreta[1]), etiamsi crimen id nec ordine iudicatorio probatum nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, ad sacros ordines promoveri aut in susceptis ordinibus ministrare nullo modo possint, nec illis aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine ac beneficio et officio perpetuo careant.

Nec non et illos, qui clerici non fuerint et talia perpetraverint, non tantum poenas incurrere supra narratas, sed etiam inhabiles ad ordines et alia praedicta decernimus et declaramus. Volentes, quod hi, qui foro ecclesiastico subiecti, ut praefertur, deliquisse comperti fuerint, per iudicem ecclesiasticum depositi et degradati, curiae et potestati saeculari tradantur, quae de eis illud capiat supplicium, quod contra laicos vere homicidas per divinas leges ac civilia iura est dispositum . . .

Insuper, ut immanissimi huius delicti gravitati non solum temporalibus verum etiam spiritualibus poenis prospiciamus ac provideamus, omnes et singulos, cuiuscunque status, gradus, Ordinis vel conditionis existentes, tam laicos quam clericos, saeculares et cuius-

1) Sess. XIV. de Refor. cp. 7: Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat, sed omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico perpetuo careat.

cunque Ordinis regulares, nec non mulieres saeculares vel quemcunque Ordinem professas, qui vel quae, vel uti principales, vel uti sociae consciaeve ad tale facinus committendum opem, consilium favorem, potionem vel alia cuiuscunque generis medicamenta scienter dederint ac etiam scribendo litteras privatas vel apochas vel alias verbis aut signis iuverint aut consuluerint, ultra supradictas poenas, ipso facto ex nunc prout ex tunc excommunicatos declaramus.«

Praeterea Xistus facultatem tam absolvendi quam dispensandi talis criminis reos et principales et complices cuiuscunque ordinis et dignitatis, etiam Jubilaeo occurente vel aliis concessis Indulgentiis, nisi in articulo mortis, etiam quoad forum conscientiae Pontifici. Romano reservavit.

Gregorius vero *Papa XIV.* constitutione [1]), quae incipit: »Sedes Apostolica« Xisti V. constitutionem moderavit argumentans: . . . . »Cum postmodum experientia docuerit, ex remedio huiusmodi non eam, quae sperabatur, utilitatem et fructum provenisse, verum potius multis satanae malitia ad peccandum inductis, difficiliori, ob soli Sedi Apostolicae reservatam absolvendi facultatem, reddito ad poenitentiam aditu, eos a nefariis huiusmodi flagitiis perpetrandis non solum non retraxisse, sed etiam plurimorum sacrilegiorum gravissimorumque peccatorum occasionem dedisse, nos propterea utilius censentes, ubi nec de homicidio, nec de animato foetu agitur, poenas non imponere duriores iis, quae per sacros canones et leges profanas sunt inflictae . . . . Constitutionem praedictam sic moderandam duximus, ut a peccato et excommunicatione contra personas ibi expressas lata tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos, qui post nostram constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet presbyter tam saecularis quam cuiusvis ordinis regularis ad Christifidelium confessiones audiendas et ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus plenam et liberam in foro conscientiae tantum absolvendi habeat facultatem eandem prorsus, quam idem Xistus praedecessor sibi ac suis successoribus reservavit.«

»Quod vero ad poenas procurantium abortum foetus inanimis aut exhibentium mulieribus vel sumentium venena sterilitatis aut quocunque modo auxilium vel consilium eis dantium, in praedicta constitutione contentas, constitutionem praefatam, in ea parte, ubi de his agit, ad terminos iuris communis ac sacrorum Canonum et Concilii Tridentini dispositionem, auctoritate apostolica tenore praesentium tam quoad praeterita quam quoad futura, perpetuo reducimus perinde, ac si eadem constitutio in huiusmodi parte nunquam emanasset.«

1) d. d. 31. Maii 1591.

Recentiori aetate Concil. Baltimor [1]) ita pronuntiavit: »Neque ulli unquam matri, quaecunque res inciderit, fas est, mortem uterô inclusi foetus permittere, ne ut propriae quidem vitae consulat; neque enim, si bonum sit, quod intendas, idcirco concessa sunt, quaecunque eo ducant, neque licet quidquam male facere, ut consequatur bonum. Plane quidem nobis persuademus, dilecti in Christo filii, imane hoc flagitium a vobis procul abesse, itaque monentium magisquam obiurgantium est nostra oratio. Genus hoc peccatorum, carissimi, ne nominetur in vobis.«

Novissime vero Pius Papa IX. Constitutione »Apostolicae Sedis [2]),« excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatis subiacere declaravit . . . 2° »Procurantes abortum effectu sequuto [3]).«

Caput IV.

Abortus artificialis et craniotomia.

Notae praeambulae.

Sunt non pauci imprims inter medicos, qui nobiscum abortum libidinosum respuant, sed asserant, posse adesse rationes, quibus abortus artificialis et craniotomia poscatur, talesque operationes obstetricias esse in eiusmodi casibus licitas. Audi pro multis unum: »Graviditas est status physiologicus certum et definitum tempus permanens. Etsi plerumque pro foetu desiderabile est, graviditatem terminum normalem adipisci, tamen in nonnullis casibus conditiones emergere possunt, quae insinuant, ut illa tempore aliquo praeterlapso interrumpatur. Eiusmodi autem conditiones et circumstantiae variae esse possunt: v. g. *non* imminet gravidae mulieri *praesens* quidem periculum, sed iam nunc dignosci potest, partum maturum aut gravidae ipsi aut infanti, aut, quod saepius, ambobus minus vel plus detrimenti allaturum esse. Praematura ergo interruptio graviditatis accepta est propter periculum *futurum*, quod ex. gr. accidet in nimia pelvis arctitudine.

1) Acta et decreta sac. Concil. recenti. Collectis Lacensis tom. III. Friburgi Brisg. 1875, pag. 1280.
2) sub die 12. Octob. 1869.
3) Tenorem huius infra.

Aut periculum graviditate excitatum iam *praesens* est: quodcumque autem periculum matri imminet, imminet et infanti. Quod periculum ut amoveatur, medici constituunt graviditatem interrumpere, spe ducti, fore, ut morbus graviditate amota prospere eveniat [1]).«

Ex parte et matris et infantis [2]) ergo oriri possunt circumstantiae, quibus exigi videtur, ut praevideatur saluti matris et infantis abortu vel alio modo. Estne unquam licitum, abortum procurare vel craniotomia saluti matris providere? Videamus itaque, quid in tam misero casu medici pronuntient, argumentaque, quibus nituntur, quid valeant, ex certis ac veris principiis perpendamus.

Adnotare obiter iuvat, medicos distinguere solere abortum, partum immaturum, partum praematurum [3]), ita ut eiectionem ovi muliebris foecundati infra primas duodecim vel tredecim hebdomadas conceptionis appellent abortum, eiectionem foetus a tertia decima conceptionis hebdomada usque ad duodetrigesimam hebdomadam partum immaturum, eiectionem autem infantis ex utero matris elapsa iam duodetrigesima conceptionis hebdomada partum praematurum. Quod ad partum praematurum attinet, ex sese apparet, eum, si ex rationabilibus et honestis causis perpetratur, nullis legis naturalis neque humanae prohiberi praeceptis, quod et sequitur ex decreto Curiae Romanae elicito per professorem Neapolitanum Finzio in tali casu [4]). Ratio est, quia eo tempore infans iam extra uterum matris vivere potest. Sumamus autem, ut iam supra dictum, abortum eiectionem foetus vivi ex matris utero tempore, quo nequeat omnino non vel difficillime existere a matre seclusus. Uti per sese apparet, rationes, quibus abortus libidinosus iudicatur, valent etiam in abortum artificialem et craniotomiam. Sed cum asseclae eiusmodi in partu operationis id minus vel plus negent, aliasque rationes, quibus abortum et craniotomiam uti operationes obstetricias licitas defendere nituntur, afferant, liquet, nos hoc in capite imprimis in perpendendis talibus rationibus insudare debere. Ex tali deliberatione emanabunt operationes obstetriciae legibus moralibus consentaneae.

---

1) *Horwitz*, Künstliche Frühgeburt und Abortus. Giesen 1881, pag. 1.

2) *Debreyne*, l. c. III. partie chp. II. §. VI, p. 261: l'hydropisie abdominale, l'hydropisie cérébale ou l'hydrocephalie etc.

3) Dr. *Capellmann*, de occisione foetus, Aachen 1875, p. 22 et Dr. *Vierordt*, l. c. pag. 592, n. 585.

4) cf. *Horwitz*, l. c. p. 69.

Sectio I.

Rationes abortistarum earumque perpensatio.

Rationes, quibus liceitatem abortus artificialis vel craniotomiae tamquam cuiusvis alius operationis obstetriciae perniciosae in casu graviori, infante scilicet adhuc vivente, insinuare volunt, desumi solent ex parte medici, partim ex parte matris et foetus ipsius. Perpendamus principaliores earum vimque argumenti.

Argumenta medico faventia.

Argumenta in exercendo abortu artificiali et craniotomia in favorem medici producta sunt imprimis:

1° tota quaestio solvi oportet ex solis artis medicinae principiis;

2° medico competit ius vitae necisque, et

3° medicus non nisi perdendo foetu matrem salvare potest.

Tota quaestio est mere medicinalis.

Tota quaestio, aiunt, dissolvi oportet nullo religionis respectu, ex solis artis medicinae principiis. Ita, ut iam supra memoratum [1]), Horwitz meritum aetati recentiori tribuit, quod tractetur haec quaestio a solis medicis; quod postulaverat etiam societas medicorum Nannetensis [2]): »Dans cette discussion on doit se renfermer dans le domaine de la science. Je respecte la théologie, mais avant tout je suis medécin . . . Pour l'honnête homme le cri du devoir est plus fort que toutes les subtilités du raisonnement . . . La théologie, pour être dans le vrai et pour ne pas formuler des lois absurdes (?) et contre nature (?), doit en certaines matières s'adresser à la science; il faut donc s'en tenir toujours à cette derniére« . . . Et medicorum senatus Marsiliensis questus est: »Malheureusement nôtre savant confrère (Dr. Villeneuve) a traité la question iuridiquement et théologiquement, là où il s'agissait d'un sujet scientifique. La science seule doit ici parler« . . .

Rationes autem, quibus fulciunt medici talem postulationem, sunt imprimis tres, nempe:

1° scientia est libera;

2° moralistae in hac quaestione dissentiunt;

3° et ii theologi, qui nunc adversantur, tempore aliquo praeterlapso consentient, sicuti factum est in sectione caesarea.

---

1) *Horwitz*, l. c. p. 68.

2) *A. E.*, l. c. pag. 326 seqq.

Quod attinet ad libertatem scientiarum: respondeo dicendum, quod hoc potest duplex intelligi, nempe, 1° omnem scientiam debere ex suis propriis principiis et propria methodo proficisci, et 2° scientiam posse principia fidei christianae omnino negligere, eiusque doctrinas in dubium vocare, quin imo, conslusiones divinae revelationi contrarias prout veras tenere tractandamque esse nulla supernaturalis revelationis habita ratione [1]).

Quod attinet ad priorem postulationem, nemo est, quem fugiat eam libertatem omni scientiarum generi vindicandam esse, quod etiam *Pius IX.* asseruit [2]): »Ipsam (philosophiam aiunt) nunquam debere ac posse auctoritati se subiicere: Quod esset tolerandum et forte admittendum, si haec diceretur de iure tantum, quod habet philosophia suis principiis seu methodo ac suis conclusionibus uti sicut et aliae scientiae, ac si eius libertas consisteret in hoc iure utendo, ita ut nihil in se admitteret, quod non fuerit ab ipsa suis conditionibus acquisitum aut fuerit ipsi alienum [3]).« Concilium Vaticanum confirmavit [4]): »Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat . . . . Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo, sed iustam hanc libertatem agnoscens id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.«

Hisce verbis Concil. Vatic. iam diiudicata est altera libertas scientiae attributa, uti et expresse [5]): »si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesiae proscribi posse: a. s.« Auctoritate sua Ecclesia sancivit, quod idem Pius iam epistola [6]) pronuntiaverat: »quamvis enim naturales illae disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti rectricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus et commentationibus animadvertant, posse se illis adduci . . . ad ea proferenda, quae plus minusve adversentur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelata fuere.«

1) cf. Syllab. prop. 11, 12, 13.
2) in epistola ad Archiep. Monac. d. d. 11. Dec. 1862.
3) cf. etiam epist. d. d. 31. Dec. 1863.
4) sess. III. cp. IV. de fide et ratione.
5) can. 2 l. c.
6) d. d. 21. Dec. 1863.

Neque igitur in theoria quidem absoluta libertas scientiis humanis attribuenda est, minime in praxi, i. e. quando conclusiones ex principiis deductae in vitam traducantur eaeque ad actus humanos applicentur. Quod si in alias scientias imprimis in medicinam cadit. Unde optime auctor saepe laudatus concludit [1]): »Sane scientia medica non speculativa, sed maxime practica est: unde communiter ars potius dicitur. Practicarum vero scientiarum illa dignior est, quae ad ulteriorem seu altiorem finem ordinatur [2]). Et omnium dignissima atque unice ab omni alia practica scientia independens habenda erit illa, quae essentialiter et per se ad finem ultimum tendit hominemque dirigit. Porro finis seu »obiectum medicinae est sanitas, quia nihil medicina considerat nisi in ordine ad sanitatem. (*Thomas*, l. c. II. 2. q. 1. a. 1. c.) Bonum itaque physicum corporis contemplatur et procurat, quod utique homo commune habet cum animalibus ratione destitutis.

Philosophia practica, quae etiam ethica naturalis dicitur, scientia est morum regulas illas tradens, quarum beneficio homo recte seu consentanee cum rationali sua natura actiones suas liberas exigit. Haec itaque scientia, utpote quae altius bonum homini prae ceteris maxime proprium inquirat, caeteris artibus seu practicis scientiis medicina minime exclusa, anteferenda omnino est. Demum theologia moralis, quae non ad honestatem tantum naturalem sed et supernaturalem in ordine ad finem ultimum homines conducit, suprema scientia practica merito dicitur, cui ceterae universim omnes quoad omnia et singula eiusdem praecepta parere debent.

Medicinae igitur proprium est decernere, quae ad corporis sanitatem salvandam aut restituendam iuvare possunt et valent. Ubicunque autem de honestate dubitatur alicuius remedii (et operationis), ad philosophiam aut theologiam moralem recurrendum est nec medico qua tali illud independenter solvendi ius datur.

Et haec maxime valent in casu praesenti, cum utique vehementer dubitetur, utrum ad matris sanitatem et vitam servandam licitum sit occidere seu destruere foetum.«

Moralistarum in re sententiae.

Quod ad moralistarum, ut vocant, dissensionem in hac re spectat, non difficulter eorum sententia colligi potest ex ipsis eorum

1) *A. E.*, l. c. pag. 348.
2) S. *Thomas*. S. theol. I. q. I. a. 5.

verbis, cum coryphaeos ad verbum afferre iuvet. Iam primi christiani [1]), abortus procurationem inter crimina retulerunt et antiquissimi ecclesiae patres christianos contra paganos, qui illos, quod homines immolarent, accusabant, defendentes, gravissimum eorum innocentiae attulerunt argumentum, eos voluntarium abortum ipsum homicidium ideoque crimen habere: »Qui mulieres illas, ita Athenagoras ad Marcum Aurelium, quae medicamentis ad abortum utuntur, homicidas esse, et rationem huius abortionis Deo redituras dicimus, quomodo hominem occideremus?« Eodem sensu Tertullianus in Apologetico et Minucius Felix scripsere: »Nobis vero homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero dissolvere non licet, homicidii festinatio est; nec refert, natum quis eripiat an nascentem disturbet.«

Lactantius hoc crimen dicit esse vel maximam impietatem; ad vitam enim Deum inspirare animas, non ad mortem. Leges ab ecclesiae auctoritate in abortum ex hac patrum doctrina latas eique consentaneas iam supra attulimus, ex quibus etiam intelligitur doctrina medii aevi de hac re.

Cum antea theologia moralis coniuncta cum aliis Theologiae disciplinis esset et tractaretur, cum illis ideo quaestio haec obiter perstringebatur; ex quo theologia moralis separata exarari coepta erat, expressius persolvebatur [2]).

Sanchez († 1625) ita enunciat [3]) »Sunt medicinae quaedam directe ad foetus occisionem tendentes, ut venenum, dilaceratio, percussio; aliae autem per se et directe ad morbos pravosque humores expellendos pristinamque salutem restituendam ordinatae, ut venarum ruptio, balnea. Prioris ergo generis medicinas sumere, nefas capitale est, quia cooperantur directe innocentis neci, quod intrinsece malum est. Posterioris autem medicinis uti licitum est praegnanti etiam cum probabili abortus periculo, ubi omnino ad eius salutem desideratur.«

Sporer († 1714), qui et ipse saeculo septimo decimo vigebat ita solvit [4]): »Sine dubio intrinsece malum et mortale est, directe procurare abortum foetus animati; est enim verum homicidium . . . . Certissimum quoque apud omnes id nullo unquam casu vel causa licere, sive constet iam animatum esse foetum sive dubitetur, an de facto sit animatus; sive deinde abortus intendatur propter se ut

1) *A. E.*, l. c. pag. 211 seqq.

2) Qua in re non mirandum quod distinctio inter foetum animatum et non animatum solutionem partim variat.

3) de matr. lib. IX. disp. 20. n. 14.

4) Theol. Sacram. p. 4. c. IV. n. 710.

finis sive solum intendatur ut medium propter alium finem v. g. ad conservandam vitam matris . . ., dummodo media per se tendant ad causandum abortum neque aliter conducant ad vitam matris conservandam, nisi quantum causant abortum.«

Quid *Laymann* († 1625) de abortu senserit, iam supra [1]) retuli. Post illa verba pergit [2]) »Secundo, si certum sit, foetum in utero non animatum esse, facilius permittitur ob matris salutem expellere, idque directa intentione, si foetus matri mortem allaturus putetur . . . Indirecta vero intentione seu per accidens fas erit interdum foetum expellere, si matri graviter aegrotanti v. g. venae sectio aut purgativum pharmacum necessarium videatur, non sine aliquo abortionis periculo. Si autem foetus animatus existemetur, tunc aliter distinguendum cum *Sanchez* n. 13 . . . Verumtamen in casu unico repugnabit charitatis legi, matris vitam medicamento servare cum probabili periculo necandi foetus, si non adhibito tali medicamento de mortua matre credatur foetum vivum in lucem edendum et baptizandum fore. Cuius ratio est, quia ordo charitatis postulat, ut vita spiritualis animi foetus praeferatur vitae corporali ipsius matris [3]).«

Diana ipse (1663), qui est »aliquando benignior,« ait [4]): »Si medicina aequaliter tendat ad salutem matris et ad necem foetus, praeferri potest vita matris saluti infantis, eo etiam maxime, quod matre pereunte paene miraculum sit, si foetus incolumis evadat.

Ratio est, quia periculum damni est modicum, supponimus enim desperatam esse salutem . . . . Recte igitur ego olim in facti contingentia consului, quod, quando nulla est spes, ut vivus edatur partus, et ex alia parte adest spes sanitatis matris, si adhibeatur remedium illius sanativum, adhiberi posse, etsi tale remedium aeque sit ordinatum ad foetus mortem et ad matris salutem . . . . ; dixi, si remedium sit aeque sanativum; nam si remedium sit ex sua natura mortiferum foetui et hac ratione solum sanativum, quatenus est foetui mortiferum, non potest licite adhiberi.«

Celeberrimi illi Salamanticenses respuunt causas nonnullorum theologorum abortum directum ad sanandam matrem permittentes: »hae rationes etiam probant, licere potionem sumere directe tenden-

1 cf. pag. 321.

2) l. c. n. 4.

3) cf. to. II. l. V. tr. 10 p. 3 cp. I. n. 6.

4) Tract. VI. de abortu resol. XL.

tem ad expellendum puerperium iam animatum: quod nemo admittet [1]).«

Tamburini († 1675) [2]) ita censet: »Duplici modo . . . procurari (scil. abortus) potest . . . Primo indirecte, ut si praegnans sumat pharmacum tendens directe ad sanitatem, licet per accidens inferat mortem foetui sive animato sive inanimato; et hunc abortum indirectum procurare ex proportionata causa licite potest, tum ipsa praegnans tum alii . . . Quando medicamenta aeque tendunt in salutem matris et in mortem foetus, posse ea applicari infirmae praegnanti, si salus infirmae est desperata, docet probabiliter *Sanchez* l. c. n. 19 etiamsi dubium sit, an vitam matri allatura sint . . . Secundo directe, ut si medicus praeciperet ebibendam potionem directe habentem pro sua vi foetum interimere vel conceptionem impedire . . .

Si constet, foetum esse animatum, vel dubitetur, an animatus sit: nunquam licet . . . si foetus est sine anima, aliqui affirmant in tanta necessitate matris licere . . ., aliqui negant . . . Utrumque probabile.«

Similiter *Reiffenstuel* [3]) et *Caramuel* [4]).

Antoine († 1743) in Theologia morali universali [5]) quaerit: »An nunquam licet procurare abortum? Resp. 2⁰ Qui animato foetui abortum procurat vere et proprie homicidium committit . . ., nunquam licet abortum foetus animati procurare, etiamsi alioqui sit periculum, ne foetus simul cum matre intereat, quia nunquam licet occidere innocentem etiam ad servandam alterius vitam: idem dicendum, si dubium sit, an foetus sit animatus, quia esset se exponere periculo occidendi innocentem . . . .

Sed num licet ad matris conservationem ei praebere pharmacum, quo foetus putetur moriturus?

Resp. 1⁰ Non licet, praebere matri nec ei sumere remedium ex vi sua ordinatum ad expulsionem foetus sive animati sive inanimati, etiamsi certa sit utriusque mors, si non adhibeatur, et probabile, sit matrem servandam esse illo adhibito . . . Resp. 2⁰ Ex communi sententia licet matri sumere et ei praebere remedium per se curativum matris nec per se tendens ad abortionem, quamvis sit periculum, ne inde abortio sequatur: modo constet, foetum non essa animatum et mater alioqui

1) tract. XIII. de restit. c. II. n. 60.
2) l. c. lib. VI. cp. II. §. 4. n. 1—4.
3) tr. IX. dist. III. q. III. n. 33.
4) Theol. fundament. lib. II. fund. L. V. a. VIII. q. VI.
5) de iustit. et iure etc. etc. p. III. cp. II. q. V.

moritura esset, quia tunc, si abortio contingat, non censetur procurata, sed solum permissa; nam praeter intentionem nec ex ipso opere contigit matre utente suo iure: mater enim in tali casu non privatur iure utendi remediis ad vitae suae conservationem necessariis nec per se abortum procurantibus. Non licet tamen matri ex morbo periclitanti sumere nec ei dare pharmacum quodvis, quo expellatur vel expelli possit foetus etiam inanimatus, quamvis matri immineret infamia vel mors inferenda ab extrinseco, quia tunc directe intenditur abortus ad vitandam infamiam vel mortem . . . . Resp. 3⁰ Si proles sit animata, vel dubitetur, an sit, est mortale, adhibere remedium directe curativum matris sed cum periculo mortus foetus, si probabile est, eo non sumpto prolem vivam edendam esse et sic baptizandam. Est communis sententia. Quia mater tenetur, salutem aeternam prolis in extrema necessitate praeferre vitae propriae corporali . . . Quodsi aequale periculum est abortus, sive remedium sumatur sive non, licet matri illud sumere, quia tunc sine maiore periculo ac damno consulitur vitae matris.«

Aequali modo quaestionem nostram solvit *Collet* († 1770) [1]) et *Elbel* [2]), ex quo ponere iuvat responsum quaestionis: »Dices, quid si autem foetus, supponatur iam animatus: licebitne etiam tunc sumere medicinam per se et directe solum tendentem ad sanitatem, tametsi praevideatur periculum abortus? n. 766: Cum distinctione: si enim affulgeat spes et praevideatur, fore ut, si mater abstineat a medicinae, infans sit nasciturus vivus et perventurus ad baptismi gratiam, tenebitur mater abstinere a medicina, etiam cum periculo vitae, quia virtute caritatis ac pietatis obligatur, vitam aeternam et spiritualem infantis praeferre saluti proprii corporis. Hancque vitae caducae iacturam christiana mater aequanimiter feret, ut proli baptismi fluentis abluendae vitam aeternam comparet. (*Godeau*, l. c.) Contra vero, si vel nulla vel certe exigua appareat spes deducendi prolem ad baptismi gratiam, non tenetur abstinere a medicamentis: quem enim in finem [3])?«

Expressius referendum est, quid in hac re tenuerint *De Lugo* [4]), *Vasquez* († 1604) et *S. Alphonsus*, ut ex ipsis verbis intelligas, perperam illos *Gury-Ballerini* citare posse [5]) defensores liceitatis abortus.

1) Instruct. theolog. moral. Lugduni 1768 to. II. de decalog. cp. V. a. III. sec. I.
2) Theolog. moral: sacram. p. III Augustae-Vindel et Gracin 1733 Conferent. XIX. n. 463—467.
3) cf. La Croix l. III. p. I. n. 825 et Voit pag. I. n. 668, 671, casus II.
4) nat. a. 1583. obiit a. 1660.
5) l. c. t. I. n. 402 notae.

De Lugo nempe scribit[1]): »An liceat matri sumere pharmacum ad propriam vitam tuendam, licet ea occasione infans, quem in utero habet perire debeat per aborsum vel alio modo? Respondetur, directe nunquam, quia post animationem id esset directe occidere infantem, quod nunquam licet; ante animationem vero non licet, id directe procurare, sicut non licet procurare seminis effusionem etiam ad salvandam vitam . . . Quando vero pharmacum vel remedium non sumitur directe ad eum finem (abortum), sed ad sanitatem et vitam matris tuendam, distinguendum rursus est; nam si non aliter conducat ad vitam matris, nisi quatenus causat abortum, iam tunc directe intenditur aborsus . ., quo casu non est licitum. Si vero pharmacum illud utile sit ad vitam matris, consequenter tamen causat abortum et praeter intentionem, tunc, si foetus non sit animatus, licitum erit illud remedium sicut et illud, quod sumitur ad sanitatem, licet consequenter praeter intentionem praevideatur afferre expulsionem seminis, quae non intenditur, nec conducit ad sanitatem, sed causatur ab illo remedio, per quod aliunde obtinetur sanitas, quatenus purgat alios humores noxios . . . Difficultas est, an etiam post foetus animationem tale medicamentum sumere vel applicare liceat . . . Dicendum est, per se loquendo et attento ordine solius naturae posse id fieri, quia mater non tenetur, cum tanto vitae suae periculo et detrimento procurare et conservare foetum, sicut nec natum iam filium tenetur cum vitae discrimine alere et retinere . . . Placet tamen moderatio, quam huic doctrinae addidit postea Vasquez . . . dicens, hoc intelligi de sanguinis effusione, balneo et eiusmodi remediis, quae non tendunt ad occisionem foetus nisi negative, per subtractionem humoris necessarii ad eius sustentationem, non vero de remediis, quae positive concurrerent ad mortem foetus, qualis esset potio, quae per alterationem positivam occideret foetus . . . . quod nunquam licet.« *Vasquez* vero[2]) »de praegnante,« enuntiat: »Sylvester et Corduba asserunt ut certum, quod licitum non est medico applicare medicinam abortivam foetus post illius animationem, etiamsi certa sit foetus et matris mors ex infirmitate, et hoc verum est, quia non licet mortem intendere alicuius vel illam accelerare, ut alius salvetur, quia est medium illicitum intrinsece, quod ex fine non potest effici bonum. Addit tamen Corduba, quod post animationem licet applicare medicinam sanativam morbi matris, quae non sit causa abortus directe, licet indirecte inde sequatur.« Et infra[3]):

1) De Jure et Instit. disp. X. n. 130.
2) De Restit. c. II. §. 1. dub. VII. n. 26 seqq.
3) l. c. c. III. §. II. dub. VI. n. 23.

»Circa id, quod diximus de muliere praegnante, notandum est, quod, quamvis verum sit, licitam esse sanguinis missionem vel balneum ad tuendam vitam matris, tamen non esset licitum sumere potionem ad tuendam vitam propriam, si inde secutura esset mors foetus non per subtractionem humoris, sed per alterationem aliquam positive causatam ex medicamento vel potione.«

Busenbaum apud *S. Alphonsum* de Liguori sentit[1]): »Si . . . ad vitam matris conservandam omnino sit necessarium (abortum procurari) sequentes regulae tenentur: 1° Si foetus mortem allaturus sit probabiliter et necdum sit animatus anima rationali . . ., quidam permittunt etiam directa intentione expelli, ut *Sanchez*, Henr. contra Lessium et alios; quorum sententia in praxi suadenda . . . . 2° Si vero foetus sit animatus materque iudicetur moritura cum prole, nisi medicinam sumat, licet eam sumere, et secundum quosdam tenetur, intendendo directe suam tantum sanitatem, etsi indirecte ac consequenter destruatur foetus, quia in pari necessitate mater potest magis prospicere sibi quam proli; 3° Si vero cum morte matris spes vitae et baptismi prolis affulgeat, tenetur mater secundum plerosque, sub mortali abstinere ab omni remedio destructivo prolis, quia tenetur vitam corporalem exponere pro extrema necessitate spirituali infantis. Contrarium tamen docet Lug. Lopez.«

S. Alphonsus, l. c. »Quaeritur igitur I: An liceat matri in morbo extremo constitutae sumere pharmacum ad expellendum directe foetum inanimatum? Prima sententia affirmat . . . . Secunda sententia communior docet, licere quidem matri sumere medicamentum directe ad curandum morbum, etsi foetus indirecte expellatur, non vero directe ad foetum expellendum . . . Utraque sententia est probabilis, sed secundam tamquam tutiorem censeo in casu nostro omnino amplectendam . . . Quaer II. An liceat matri sumere pharmacum ad expellendum morbum, si inde timeatur indirecte abortus foetus animati? Resp.: Si remedium directe tendat ad occisionem foetus . . ., haec quidem nunquam licent. Si autem tendat directe ad servandam vitam matris . . ., haec certe licita sunt, quando aliter certo moraliter iudicatur mater cum prole moritura.«

Alteram autem quaestionem: an liceat matri sumere medicamentum, quando dubitatur, an pereunte matre proles possit supervivere et baptizari, s. Alphonsus solvit, etsi mors matris, si a medicina obstineat, *certa* esset, negative et in favorem foetus dicens, se contrariae »sententiae non valere acquiescere;« matrem teneri utique ex

1) lib. IV. n. 394.

ordine charitatis abstinere a medicina . . ., nisi aequale sit periculum abortus sive medicina sumatur sive secus. »Et etiamsi, pergit, mors matris esset moraliter certa, si non remedium sumat, nec etiam tunc auderem ei medicinam permittere, si aliqua rationabilis spes affulgeret, quod mortua matre proles superviveret et baptizari posset... Secus vero dicendum, si nulla spes rationabilis esset de vita prolis post mortem matris.«

Etiam *Scavini* distinguit adhuc inter foetum animatum et inanimatum et diiudicat nostram quaestionem consentaneus *S. Alphonso* [1]), vetans matrem in morbo extremo constitutam pharmacum sumere ad expellendum directe foetum inanimatum, cum »hoc communius negent, tanto magis, quod inutiliter sumeretur, ut directe expellatur foetus, cum possit indirecte. Ratio est, quia verus foetus (non corruptus) est propinquior vitae humanae atque in uteri possessione. Neque potest dici pars viscerum, cum sit inchoative condistinctum individuum humanum; neque vitae aggressor, cum ex se mortem non intendat, sed ea per accidens eveniat.«

Item *Gury* abortum directum medicinalem non licere docuisse, facile perspici potest ex eius compendio Theologiae Moralis [2]) ommissis adnotationibus Ballerini.

Tandem expresse referimus sententiam praeclari illius *Kenrick*, archiepiscopi s. Aloisii, quoniam hic vir doctissimus fautor craniotomiae vel directi abortus censebatur: »Id pro re, ait [3]), explorata haberi debet, nunquam licere pharmacum dare, quod ad abortum dirigatur, v. g. ut comprimatur caput in utero ad egressum faciliorem, nec licere instrumentis foetum vivum exscindere, ut per partes extrahatur: haec enim est hominis occisio, quae per se mala est ideoque ne quidem ad vitam matris servandam potest licere. Quod autem uterque intereat, nisi matri subveniatur, ex naturalibus causis contigit, nulla alicuius culpa, quum peccaret e contra, qui alteri alterius gravamine succurreret. Locum igitur habet Ambrosii monitum: Si aliter subveniri non possit, nisi alter laedatur, commodius est, neutrum iuvare quam alterum gravari [4]).«

Non difficulter deduci potest ex locis relatis communis *doctrina* [5]):

1) l. c. p. II. tr. VII. disp. II. cp. I. a. I. §. 4.
2) tom. I. n. 402—403.
3) Theol. moral. vol. I. tr. III. n. 128.
4) cf. etiam. *Gousset*, Moraltheologie zum Gebrauch für den Curatklerus nach der 5. Auflage für das katholische Deutschland, bearbeitet von Dr. J. N. P. Oischinger, Erster Band, Schaffhausen 1851, pag. 30, n. 621—623.
5) cf. Acta s. Sedis vol. VIII. app. XII. p. 519.

1. nunquam licet directum abortum provocare foetus animati necdum maturi ex quavis ratione nisi matre iam demortua; ergo et craniotomia prohibetur;

2. abortum directum foetus inanimati (ut putant) aliqui saltem ex gravissimis causis permittunt, aliqui omnino vetant;

3. abortus indirectus foetus tam animati quam inanimati ex gravissimis causis sub certis conditionibus admittitur, nisi charitas aliud postulat.

Unde paucos tantum auctores Avanzinius in quaestione morali de craniotomia seu de occisione infantis in utero matris, ut mater a certa morte servetur [1]), invocari posse putat defensores liceitatis craniotomiae et abortus, nempe [2]) duce *Sanchez* canonistas Marianum Socinium, Felinum Simonem Brixiensem, deinde Thesaurum et Menochium, theologum autem unum Raynandum, et Tertullianum ex antiquitate.

Quod ad tres primos spectat, laudatus ille A. E. optime [3]) allata ad verbum eorum sententia posse videtur concludi: »eos tamquam veros abortus assertores invocari non posse. Eorumdem tamen dubitationibus innixi ac iuris consulti plures de rebus criminalibus agentes mitiori poena esse plectendas vel etiam a quovis poena *externi fori* immunes dicunt praegnantes, quae hac ratione vitam suam servaverunt. In sententiam hanc eo vel magis abierunt, quod canonica vel civilia iura de casu huiusmodi omnino silere animadverterint neque ipsis aequum videretur talibus mulieribus legem applicare contra eas latam, quae ex mera libidinosa crudelitate foetum suum abegerint. Dum autem istas in foro fori excusarent, in foro consientiae reas esse proclamant.«

Idem valet de *Thesauro* seniore [4]), qui finit: »Erit tamen salutaris poena pro homicidio delinquenti iniungenda, quia peccatum hoc inter mortalia connumeratur a B. Antonino in Summa c. 8. §. 2. circa finem, et de Menochio, qui (de Arbitr. iudic. quaest. c. 357 n. 20) ita ait: Declaratur secundo, ut (iudex) non procedat in eo, qui abortioni causam dedit pro salute mulieris; nam tunc ille ab omni poena excusatur, ita Marianus Socinus . . . . Quod nulla poena indicenda sit, suadet ratio, quod hic rei licitae operam dedit; si enim mulier mortua fuisset, procul dubio etiam partus extinctus fuisset, recte ergo egisse *videtur*, si unum solum perdiderit, ut alterum tueretur. Quod

1) cf. Acta sanctae sedis vol. VII. appendix V. pag. 285.
2) l. c. app. XI. pag. 460 et app. XII. pag. 516.
3) l. c. pag. 333.
4) cf. eius. Decisiones Pedemontanae dec. 12 n. 11.

autem (et sequens non refert *Avanzinius*)[1]) a poena immunis non sit, patet, quia debuit in omnipotentis Dei voluntate relinquere, quoniam forte sua pietate incolumem mulierem reddidisset. Quin? Nonne pluries evenit, quod mulieres prope puerperium aegrotant, et si moriuntur, vivunt tamen partus . . . . Ego opinor, quoad forum conscientiae hos a peccati labe non esse immunes, quod vero ad poenam temporalem, posse etiam puniri aliqua poena.«

Neque Theophilum Raynaudum vindicatorem saltem absolutum directi abortus inveniri, apparet ex eius verbis[2]): »illicitum est, foetus concepti abortionem etiam ad matris vitam tuendam causare, ex quo ad eum terminum (i. e. animationis) deventum fuerit.«

Et sit ita: quid unus solus comparatus cum omnibus aliis?

Tertulliani denique mentem[3]) ex notis *Pamelii*[4]) et *Bosii*[5]) et ex eiusdem verbis in libro Apolog. c. 9 (Nobis homicidio semel interdicto etc.) saltem dubiam esse manat.

Opinio ergo, medicorum theologos in hac quaestione dissentire, solido caret fundamento.

Impossibile progressu scientiarum abortum et craniotomiam licitas reddere.

Esto, infertur, veteres theologi consenserint in reprobando abortu; fieri tamen potest, ut progressa scientia recentiores moralistae aliter in aliqua causa iudicent quam veteres; exemplum: veteres theologi notaverunt caesaream sectionem illicitam, cum plerique recentiores illam permittant.

Respondeo: Concedendum progressu scientiarum saecularium aliquo modo directe vel indirecte, positive vel negative scientiam divinam iuvari[6]), at non ita — uti in hac re iacet — ut in theologia morali, quod antea, quia intrinsece et per se malum est, ullo modo honestum fiat, sed ut, quod adhuc propter circumstantias illicitum erat, etsi intrinsecus et per se sit honestum, immutatis vel omnino remotis hisce circumstantiis licitum reddatur.

Probatur ipso allato exemplo. Nam veteres moralistae propter hanc solam rationem caesaream sectionem proscripserunt, quia annuentibus tunc ipsis medicis secari et occidi unum idemque erat, non autem, quia talem operationem ex se illicitam duxissent. Cum progressu artis medicinalis et adiumentis aliis inventis hysterotomia hisce temporibus felicius eveniat, ut infra videbis, non mirum, cur recentiores eam permittant, nemine fortasse asserente, illam esse intrinsecus inhonestam. Multo secus rem se habere in provocatione abortus et craniotomiae, quis est, quin intellegat? Nam haece chirurgicae operationes sunt intrinsecus et per se malae, quia homicidium, ideoque nullo scientiarum quantovis progressu honestae reddi possunt[1]).

1) l. c. app. XII. pag. 525.
2) tom. 14. Opuscula moralia, de ortu infantium cp. 10. n. 50.
3) de anima cp. 25.
4) In Tertull. opera adnott: in librum de anima n. 331.
5) De effect. contract. matrim. t. I. cp. 10. n. 127.
6) cf. *Hettinger*, Lehrbuch der Fundamental-Theologie oder Apologetik, Freiburg i. B. 1879, zweiter Theil, §. 76.

Medico non competit ius vitae necisque.

Medico praesertim obstetricio, inquiunt adversarii, competit ius vitae necisque. Coetum illorum sumendum esse ut tribunal publicum licereque eis de abortu et craniotomia admittendis diiudicare eaque perpatrare.

Iam *Roeder*[2]), referendo tantum, annuntiat locutos esse de iure vitae ac necis medicorum neque operae esse putat, id defendere[3]). — Homo non habet ius et auctoritatem in propriam vitam[4]) neque illi licet directe seipsum occidere absque divina auctoritate[5]), nedum alium nisi ex auctoritate publica[6]), quia ius absolutum in vitam hominis nemini competit nisi soli Deo Creatori. »Cum non alius quam Deus hominis vitam condiderit ac conflaverit, profecto non alius quam idem summus verum opifex aut saltem, qui eiusdem auctoritate merito censeatur instructus, eandem destuere atque extinguere iure potest[7]).«

Quamvis magna sit auctoritas medicorum, minime tamen eis auctoritas publica attribuenda est neque deducenda ex Iure canonico[8]). Etsi tribunal publicum duorum vel trium medicorum contio esset, ubi reus? »Une être qui n'a pour toute defense que son innocence et sa faiblesse[9])?« Innocentem autem directe supplicio multare ne magistratui quidem licet[10]). Quare viri timorati ex medio medicorum ipsorum id respuunt, v. g. Dr. *Rouxeau*[11]): »En partant de

1) cf. infra Hysterotomiam.
2) l. c. vol. I. pag. 33.
3) citat *Ahrens*, Naturrecht, pag. 357 nota.
4) *Reiffenstuel*, l. c. tr. 9. dist. 3. q. 1.
5) s. *Alphon.*, l. c. l. IV. n. 366.
6) s. *Alphon.*, l. c. n. 376.
7) *Solimani*, Instruct. ethicae etc. t. I. pag. 240.
8) dist. 55. c. VII: »Si quis a medicis etc.«
9) *Eschbach*, L'embryotomie etc. Paris 1876. pag. 15.
10) s. *Alphons.*, l. c. l. IV. n. 393.
11) *A. E.*, l. c. pag. 368.

ce principe de la légitimité de l'echaufaud, pouvons nous en conclure avec *M. Cazeaux*, que l'embryotomie est un meurtre d'autorité publique, décrété par un tribunal sacré que composent les medicins éclairés et une famille éplorée, dont les plus chères affections sont en litige? Ce tribunal, qui n'en est pas un, est incompetent et recusable. Iuge et partie, il n'est pas désintéressé« . . . En pareille matière, dit *M. Dubois:* »la voix du sentiment, quelque spécieuse qu'elle soit, ne peut avoir de parole décisive. Un tribunal ne peut, sans manquer à son mandat, sans se flétrir aux yeux de tous, condamner un innocent [1]).«

Non licet medico matrem salvare perdendo, foetu etsi id unicum sit remedium.

Alii tenent: Medicum posse se acquiescere syllogismo »irrefutabili« eoque probari cuivis liceitas abortus vel craniotomiae: libentissime servarem utramque vitam, scilicet et matris et foetus; cum autem id fieri posse minor spes affulgeat, ea mihi salvanda est, quam salvare possum, i. e. vita matris [2]). Vel aliis verbis: Si abortus directus vel craniotomia sola et certa spes est matrem salvandi, non solum licet medico, sed debet ea perpetrare. Nam foetus sane peribit, seu abortus provocatur seu non; ergo salvandus, qui salvari potest i. e. mater [3]).

Respondendum: Quamquam medicus, qui in curam accipit infirmitatem desperatam, non peccat [4]), tamen obligatio eius non est absoluta, ita ut non ex principiis moralibus dependeat [5]). Tenetur curare, quoad usque possit, sed non illicitis mediis, Unde *Antoine* [6]): »Peccant(medii) . . . 5⁰ siquid contra legem Dei suadeant«, et clarius *Gury* [7]): »Peccat graviter medicus . . . 10⁰ si abortum aut media illum procurandi suadeat aut ipsemet exequatur.«

Abortum autem et craniotomiam legi Dei repugnare ideoque nunquam licere, ex se apparet. Non licet, vel minimo peccato alicui vitam aeternam parere eoque minus tanto scelere vitam temporalem caducam.

Recte *Debreyne* [8]) de tali muliere, quae solum adhuc

1) videas infra de aggressore iniusto.
2) *Horwitz*, l. c. pag. 86.
3) *Schröder*, l. c. pag. 244.
4) *S. Thomas* S^{a} II. 2. q. 71. a. 3.
5) s. *Alphons.*, l. c. l. VI. n. 291 de obligati cp. VII.
6) l. c. p. II. tract. de obligat. cap. VII.
7) l. c. p. II. n. 31.
8) l. c. pag. 260.

remedium i. e. sectionem caesaream respuit, dicit: Je responds, que ce n'est pas l'homme de l'art, qui l'abandonne, c'est la femme ellemême, qui s'est livrée à une mort presque inévitable: elle a en haîne la pouissance de l'art; son refus obstiné a paralysé les ressourcés conservatrices de la médicine et la main de son ministre; elle ne fait que subir la consequence d'une position affreuse, dans laquelle elle s'est mise voluntairement. C'est donc un malheur dont le médicin ni la médecine ne peuvent être comptables.« Saepissime enim restat ultimum remedium caeserea sectio, de qua inferius.

Rationes abortistarum in matrem et foetum redundantes.

Rationes, quibus liceitas abortus artificialis et craniotomiae demonstrari conantur, in uxorem praegnantem et foetum ipsum redundantes imprimis ponuntur: Paucitas foetus; collisio iurium matris et infantis, foetus est portio matris; matri non licet seipsam occidere ommissa tali operatione; foetus non comprehenditur V. decalogi praecepto; est matris iniustus aggressor, analogia. Sed:

Non licet foetum perdere, eo quod vita eius minoris ponderis videtur quam matris.

Infans, inquiunt, est ens minimum, ita ut ad humanam societatem minime referat, utrum vivat necne; matris e contra salus maximi momenti est et familiae et liberis iam natis; si infantem incertae praeterea vitae futurae comparaveris cum vita uxoris familiae necessariae, facile adduceris, ut matrem salves sacrificando foetum etiam alias pereuntem. *Schröder* [1]) ait: »Die theoretisch construirte Gleichberechtigung (sc. der Mutter und des Kindes) ist im praktischen Leben nicht aufrecht zu erhalten. Das Leben der Mutter, von dem in der Regel das Glück und oft genug auch die Existens eines ganzen Hausstandes, sowie das körperliche und geistige Wohlergehen einer ganzen Kinderschaar abhängen, hat einen unendlich viel höheren Werth als das Leben eines ungebornen Kindes. Ich habe deshalb die Ueberzeugung, dass der künstliche Abortus aus dieser Indication häufiger werden wird, als es bisher der Fall gewesen war.«

Respondeo, dicendum non iustificari tali argumento abortum directum neque craniotomiam; nam primum tenendum cum Catetechismo Romano [2]) praeceptum quintum decalogi omnes sine ex-

1) l. c. pag. 244.
2) p. III. cap. VI. 10: »Si . . . ii spectantur, qui interficiuntur, ad omnes haec lex (scil. ne occides) pertinet: nec quisquam est tam humilis et abiectae conditionis homo, quin legis huius vi defendatur.«

ceptione tutari. Deinde *Roeder*[1]) recte adnotat: »Foetui sane non in est ius, ut mater foetus salvandi causa se ipsam occidat, neque matri adest ius sui salvandi causa permittendi, ut foetus interficiatur«; et postea: »Ius in vitam homini attribuendum est a primo vitae germine in utero matris usque ad mortem naturalem in omni statu et gradu et conditione[2]).« Et *Lasson*[3]) ait: »Embryoni vero esse erga suam matrem sicuti erga quemvis indubia iura humana in permissionem evolutionis suae usque ad partum maturum.« Ipse *Horwitz*[4]) fatetur, »vitam non esse ponderabilem« i. e., vitam qua vitam esse omnibus aequali momento. Quodsi infertur, vitam infantis esse minoris ponderis, quia abortu vel craniotomia omissa plane destruatur, quam matris, quae fortasse salvai possit remota causa periculi matris i. e. occiso infante, respondendum puto nemini dicere licere, hominem v. gr. peste etc. infectum, qui non uni tantum, sed multis mortem inferre potest, et illaturum verisimile est et certe periturum, e continuo occidere, ne homini accedenti causa mortis fiat. Medium enim nunquam iustificatur fine operantis.

Porro contendere, licere abortum directum vel craniotomiam, quia salus matris eo. parta familiae perutilis sit, interitus e contra infantis minime lugendus, supponit etsi implicite et deposcit illam falsam normam et regulam actuum humanorum, ex qua moralitas dependeat ex utilitate et necessario, ut putat quis, commiscendo et convertendo necessarium atque utile, et licitum atque utile, et licitum atque bonum. Graviter igitur adnotat auctor »Disputationes«[5]): »Absit ut christiana lex, cuius auctor holocaustum se fecit pro hominibus, talem egoismum unquam approbet! Secus sentiant atque agant, qui praeter vitam miserrimam hanc nihil sciunt et quaerunt. Quoad nos, hoc persuasum habemus scilicet profuturum societati magis esse, qui aeternae iustitiae principia potius quam temporalem vitam salvare curaverit. Scias itaque necessarium et licitum tunc solum converti, ubi de essentiali ultimo hominis fine agitur, quatenus utique ex eo ipso quod medium aliquod necessarium sit ad aeternam salutem consequendum, id honestum et licitum est ab omnibus ha-

1) l. c. vol. I. pag. 23.

2) Non sileam eundem auctorem sibi ipsimet contrarium pag. 24 contendere ius foetus in lucem edendi esse conditionatum, matris vitae subordinatum, at pag. 86 punitionem cruentam magistratibus adimere et tamen pag. 23 concedere abortionem ex altioribus causis licere!

3) l. c. pag. 546.

4) l. c. pag. 84.

5) *A. E.*, l. c. pag. 359.

bendum, minime vero regulam huiusmodi absolute admitti posse, ubi de bono mere temporali quocunqne conservando aut obtinendo ageretur.«

Praeterea quid, principiis Utilitarismi assumptis, senibus infirmis, mente captis, liberis nimis numerosis etc. contingat, facile divinari potest. Postremo, et si non negandum vitam matris familiae magni momenti esse, tamen dicendum non omnino necessariam. Adde, quod alius morbus familiae matrem eripere potest, quin quis dicat, licere eam, si possibile esset, homicidio salvare[1]).

Non est iurium collisio, eaque nihilominus admissa, non praevalet ius matris.

»Iuxta auctores[2]) maximae notae, qui de iure naturali scripsere, ubicunque occurrit pugna iurium ius fortius est praeferendum Atqui in casu, de quo agitur, existit pugna inter iura matris et infantis. Ergo vita illius est praeferenda, in cuius favorem pugnat ius fortius. Porro ius fortius stat pro matre, quippe quae cum ordine naturae magis connectitur in ipsoque altiorem locum occupat. Ergo in casu mater praeferenda est filio, quem propterea occidere licet ut illa servetur. . . . Ad Maiorem: Iuxta auctores ubicunque occurrit pugna collisio iurium ius fortius est praeferendum; Disting.: Et hi auctores principium istud statuunt discurrendo vel in genere vel de ordine rerum undequaque diverso; Conc. Discurrendo de casu nostro; Nego. Urgente potiori iure homo tenetur servare patriam quam depositum reddere petenti. Hinc non tenetur in hac circumstantia depositum reddere contra patriam etc. (Vecchioti). Ad Min. Existit pugna inter iura matris et infantis. Dist. Et pugna isthaec (dato quod aliqua existat,) specialis est naturae, quae specialia sua principia habet; Conc. Talis est communis ordinis, ut per se liceat principia universalia invocare: Neg. Ita veritate rei coactus ipse Naegele fassus est dicens quod pugna iurium matris et foetus peculiaris est indolis. Ad Min. subsumpt. Ius fortius stat pro matre, etc. Nego«

Adde, quod etsi mater haberet ius fortius, tamen charitas illam obligaret vitam suam temporalem postponere vitae spirituali foetus sui, cum sit nonnunquam valde dubium infantem in utero matris inclusum valide baptizari[3]). Cum medici recentiores vitam foetus

1) cf. *Debreyne*, l. c. pag. 259.

2) *A. E.*, l. c. pag. 370.

3) cf. *Olfers*, l. c. pag. 27 et 28, qui in hac re aliter censet quam *Alphon. VI.* n. 107 qu. II, et *Lehmkuhl*, l. c. vol. II. n. 74.

aeternam persaepe negligant, putant vitam temporalem matris pretiosi rem esse quam illam foetus.

Infans in utero non est portio matris.

Alia ratio tenet, infantem esse partem, portionem matris ideoque licere, sicuti v. g. brachium infirmum et toti corpori perniciem minitans abscindi potest, matri abortum procurare vel craniotomiam admittere, si ei id medium unum est salutis.

Iam supra relatum, Romanos foetum intellexisse portionem viscerum matris [1]), et ipse *Sanchez* [2]) censet: »Cum foetus ille sit pars viscerum nondum anima rationali informatus, non est cur conservandus sit cum tanto vitae maternae discrimine imminenti«; et s. apud *Alphonsum* de Liguori [3]): »quaeritur I. an liceat matri in extremo morbo constitutae sumere pharmacum ad expellendum foetum inanimatum? . . . Prima sententia affirmat . . . Ratio, tum quia cum foetus ille sit pars viscerum [4]) etc.«

Illico ergo apparet, hos auctores loqui de foetu inanimato, aliquem moralistam autem et foetum animatum intelligere partem viscerum matris non invenio. Cum, ut supra vidimus, distinctio inter foetum animatum et inanimatum non possit sustineri testibus recentioribus phisiologis et medicis et theologis plerisque saltem, evanescit argumentum ex Sanchezio aliisque auctoribus apud S. Alphonsum citatis desumptum. Non negandum, D. D. permittere mutilationem etiam privatis »in casu, quo membri putredo totius corporis saluti adversatur.« *Thomas* [5]): »Cum membrum aliquod sit pars totius humani corporis, est propter totum sicut imperfectum propter perfectum. Unde disponendum est de membro humani corporis secundum quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per se quidem utile est ad bonum totius corporis; per accidens tamen potest contingere, quod sit nocivum, puta cum membrum putridum est totius corporis corruptivum. Si ergo membrum sanum fuerit et in sua naturali dispositione consistens non potest praescindi absque totius hominis (corporis) detrimento . . . Si vero membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, tunc licitum est de voluntate eius, cuius est membrum putridum, membrum praescindere propter salutem totius corporis [1]).«

1) cf. 7. D. de stat. hom. 1, 5.
2) De Matrim. l. IX. disp. XX.
3) l. c. l. IV. n. 394.
4) cf. *Lessius*, l. II. cp. IX. dub. X. n. 60: foetus non inanimatus sicuti pravi humores etc.
5) *Thomas.*, l. c. II. 2. q. 65 a. 1.

Sed foetus nequaquam est portio matris, ita ut periculo ex eo imminente expelli possit, uti licet ad salvandam vitam membrum corporis quodvis absvindere. »Nec infans . . . est membrum seu pars physica matris cum sit homo ab illa realiter distinctus [2]).«

Nam »le gêrme, dit Dr. *Cazeaux*, reçoit au moment de la conception le principe vital, le souffle de vie, il n'est pas possible sous ce rapport d'assigner aucune différence entre l'enfant qui vient de maître et celui qui est encore refermé dans le sein maternel, entre le foetus de neuf mois et l'oeuf fécondé depuis quelques heures [3]);« et Dr. *van Holsbeck* [4]): »Le foetus n'est donc pas un végétal: c'est un corps ebauché, c'est vrai, mais réuni à une âme immortelle et des lors une personalité humaine [5]). Il est bien moins encore un être unique, identique avec la mére; c'est un être distinct. L'oeuf qui se détache, de l'ovaire, est in complèti liberté séparé des organes de la mére, et certes, ce n'est point la naissance des organes nourriciers ni des vaisseaux ombilicaux qui le font changer de nature et lui font perdre ses qualités d'être distinct, puisque ces vaisseaux placentaires partent du foetus et vont s'épanouir contre la paroi utérine interne, où ils forment le placenta.« Ex eo autem, quod tranfluxus, transmutatio sanguinis fit inter matrem et foetum, deducere foetum esse portionem matris, non sibi constat, quia tali argumento probari possit vermes viscerum non esse entia per se existentia, quod nemo admittit [6]).

Huc adduci posse videtur illud s. *Thomae* [7]): »aliqui dixerunt, quod operationes vitae, quae apparent in embryone, non sunt ab anima eius, sed ab anima matris vel a virtute formativa, quae est in semine. Quorum utrunque falsum est. Opera enim vitae non possunt esse a principio extrinseco, sicut sentire nutriri et augeri: et ideo dicendum est, quod anima praeexistit in embryone, a principio quidem nutritiva, postmodum autem sensitiva et tandem intellectiva.«

Etiam planta v. gr. nonnisi in humo crescit et se explicat,

1) *Laymann*, to. I. l. 3. tr. III. p. 3. cp. I. n. 1 et 4. *Lehmkuhl*, l. c. I. n. 577 et alii.
2) *Antoine*, l. c. x. I. tr. de iustit. et iure p. III. cp. II. q. 5.
3) cf. *Capellmann*, De occis.; foet. pag. 8 seqq. 14.
4) De l'avortement provqué, Bruxelles 1863, pag. 16.
5) cf. *Roeder* et *Lasson*, l. c.
6) *Olfers*, l. c. pag. 10.
7) I. q. 118. a. 2 ad 2. Videtur fere, s. Thomam sumere unicum animationis foetus principium, i. c. animam rationalem, quae primo animationis tempore operationibus suis videtur esse anima nutritiva etc. etc.

quin quis asseruerit, eam esse portionem vel partem humi. Humus, calor etc. sunt eius conditiones vitae tantum et evolutionis. Ita foetus humus est uterus matris, quin fiat foetus pars matris.

Non alienum puto, foetum non esse matris partem probari ex posse doctrina, quam tenet ecclesia, matrem non posse pro infante baptismum suscipere. Audias loco multorum *S. Thomam* [1]; qui disserit, utrum pueri in maternis uteris positi sint baptizandi, et enuntiat ... »Praeterea puer in utero matris existens aliquid matris esse videtur. Sed baptizata matre, baptizatur, quidquid est eius intra ipsam existens. Ergo videtur, quod baptizata matre baptizetur puer in utero eius existens. Respondeo ..., hoc esse non potest, tum quia anima pueri, ad cuius sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris, tum quia corpus pueri animati iam est formatum et per consequens a corpore matris distinctum; et ideo baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero matris existentem. Unde Augustinus dicit Contra Julianum l. VI. cp. XIV. §. 42. col. 847 t. 10: Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet, ita ut eius pars deputetur, non baptizaretur infans cuius mater baptizata est aliquo mortis urgente periculo, cum eum gestaret in utero. ... Ad secundum dicendum, quod membrum interius matris est aliquid eius per continuationem et unionem naturalem paris ad totum; puer autem in utero matris existens est aliquid eius per quandam colligationem corporum distinctorum.«

Hac distinctione S. Thomas quaestionem persolvit.

Abortus directus (et craniotomia) prohibentur quinto Decalogi praecepto.

Asseclae abortus directi et imprimis craniotomiae moralitatem argumentare conantur eo, quod 1⁰ talis operatio omnino non cadat sub quintum decalogi praeceptum; 2⁰ etsi cadat sub quintum praeceptum decalogi, tamen dicendum sit, non omnem directam occisionem illo prohiberi, et 3⁰ quod craniotomia non sit occisio directa foetus.

Quoad primum argumentum, illud *Pennachi* [2]) adstruere enititur dicens: »Obiectum praecepti non occides videntur esse homines tantummodo in societate constituti et per se existentes, illi scilicet, qui de matris utero egressi sunt vivuntque vita propria, non autem infantes in utero matrum adhuc clausi?« — Quaestionem hanc non amplius ingressuri unum saltem petimus a claro viro, nempe: Sub

1) l. c. III. q. 68. a. 11.
2) l. c. pag. 50 et seqq.

quonam decalogi praecepto, cum omnia hominis iura et obligationes seu directe seu indirecte contineantur decalogo, comprehenduntur abortus et craniotomia? Sub nullo? Ergo suntne semper licita? Quod ne clarus adversarius quidem admittat. Deinde, v. gr., homo in insulam naufragio eiectus, qui non amplius in societate hominum est constitutus, num omnibus quinti decalogi obligationibus liber est? Licetne ergo illi suicidium perpatrare? Qui nimis probat, nihil probat.

Sit, aiunt adversarii, ut abortus directus et craniotomia comprehenduntur sub quinto decalogi praecepto, tamen in nonnullis casibus occisio directa licita est ex sacris libris, qui eam continent et probant, v. g. Num. 25, 6, 31 per totum, Judith 13, 4, 13, 23 etc. Et in talium casuum numero et est habendus abortus et craniotomia.

Hisce aliisque similibus verbis probari, abortu directo vel craniotomia aliquem occidere licere, plurimi imprimis medici somniantur. Sed nemo est, quin exempla ex sacris libris allata noverit et tamen sequelam ex eis deductam falsam intelligat.

Quis est enim, qui ignoret, in sacris litteris permulta inveniri scripta, quae discrepant praeceptis divinis, cum sint collectio librorum, quibus continetur et revelatio Dei et res gestae regni Dei in terra, quae res non solum a Deo, sed etiam ex hominibus emanant? Sola autem et pura narratio alicuius rei in sacra Scriptura non est eius approbatio neque vindicatio [1]). Deinde, quod ad facta allegata spectat, non est in diiudicando ommittenda conditio plebis Iudaicae a Deo illi attributa, in cuius manu vere et proprie est ius vitae necisque, ita ut hostis Iudaeorum plerumque erat inimicus Dei. Madianitae v. g. erant propter fornicationem populo Iudaico ex sese iam nimis faventi libidini permagnum perversionis periculum et impedimentum Dei consiliis ad salutem humani generis. Neque tamen negari potest, quod fere superfluum animadvertere expresse, praeceptum: »Insontem et iustum non occides [2])« modificari; nam cum, vitae humanae dominium ad Deum unice spectet, auctore S. Augustino, Deus per praeceptum »Non occides« hominibus, non vero sibi potestatem homines occidendi abstulit: unde Deut. XXXII. ait: »Ego occidam et vivere faciam.« Est ergo, ait sanctus *Thomas* [3]) licitum illis, qui mandato Dei occidunt, quia tunc Deus facit. Est ergo sensus: Non occides propria auctoritate. Mandatum autem Dei non esse medicis, iam supra demonstratum est.

1) cf. *Luc.* 16, 8, 9.
2) Exod. 23, 7.
3) Sa. I. 2. q. 100 a. 8. 3 m.

Etsi, instant adversarii, abortus directus et craniotomia non sunt ex eis casibus, in quibus directe quem occidere licet, tamen eo non tales actiones plane prohibitae sunt, quoniam abortus directus et craniotomia non sunt directa occisio foetus, sed indirecta, quae nonnunquam licita est [1]).

Miror, quod Pennachi talem sententiam tenet, quamquam refutatio cl. Alex. Ciolli rem claram et lucidam reddidit. Ciolli enim, ut probaret, imprimis in craniotomia esse occisionem directam, adducit [2]) sententiam cl. *Ballerini* in adnotationibus ad Theologiam Moralem Patris *Gury* tom. I. n. 403, scilicet: »Ut licite possis causam ponere mortis, oportet, ut occisio neque ut finem intendas, neque assumas ut medium ad alium finem, quia utroque modo directe eam velles; sed tantum indirecte eam inferas, ponendo scilicet causam ipsiusmet mortis non propter coniunctionem, quam eadem causa habet cum morte innocentis, sed solum propter coniunctionem, quam habet aeque immediatam cum alio effectu.

Atqui per embryotomiam occisio infantis intenditur ut medium ad alium finem, scilicet ad salvandam matrem, ergo est occisio directa . . . Occisio indirecta innocentis, ut ait S. Thomas, tunc solum habetur, quando unius actus sunt duo effectus, quorum alter solum sit intentione (directe), alter vero praeter intentionem, cum sit per accidens (indirecte).

Atqui per embryotomiam primo ictu occiditur directe infans, quin per hoc levamen aliquod afferatur matri, (quod sedulo considerandum est), et dein extrahitur per forcipem cadaver, ex qua solum eductione vita matris salvatur. Unde iterum manifestum est, quod occisio innocentis est in hoc casu directa vel per se tamquam medium licet mediatum . . . ad salvandam matrem. Ergo est prorsus illicita.« Quod *Pennachi* l. c. adducit, ut haec Alex Ciolli argumenta refutet, non valet.

Totum enim *Pennachi* argumentum, craniotomiam non esse occisionem directam foetus, aut saltem directam tantum ratione actionis non autem finis, ideoque licitam, versatur in falsa suppositione, cum morte infantis esse immediate coniunctam salutem matris, vel occisionem foetus esse salutem matris per se et immediate, i. e. cum bono effectu esse malum non intentum. Res autem longe aliter iacet: ponenda est primo loco occisio infantis, quae directe, scilicet ut medium intenditur et perpatratur, ut sequatur secundo loco salus matris.

Et hoc loco valet, fine non iustificari medium. Ideoque non

1) *Pennachi*, l. c. pag. 49.
2) *Pennachi*, l. c. pag. 82.

stat, licere una causa duos effectus producere, bonum scilicet et malum; nam prima conditio in tali casu est, effectum bonum saltem aeque immediate sequi atque effectum bonum; hic autem res e contrario se habet.

Omisso abortu directo vel craniotomia mater non suicidium admittit.

Nemini licet seipsum occidere, tenet aliud argumentum, atqui omisso abortu etc. mater se dedit certae morti; ergo tenetur, abortum etc. procurare.

Verum est, nemini licere se directe occidere, quin peccatum mortale committat. Quinimo quilibet tenetur vitam suam conservare mediis ordinariis et consuetis, scilicet ex sese licitis. Unde homicidium et suicidium directum, voluntarium semper et pro semper illicitum [1]). Quare ne damnato quidem ad mortem licet nisi legitimo iussu in se exequi sententiam [2]). »Licitum tamen est, iusta de causa aliquid facere vel omittere, unde certo scitur praeter nostram intentionem mors secutara [3]).« Insuper diligenter observandum, aliud esse ad mortem suam active concurrere, quod proxime ac directe nunquam licet; aliud vero propriam mortem permittere seu ab altero iniuste inferendam fortiter perferre, aut contra vim iniustam se non defendere; hoc enim saepe licitum, quin interdum in praecepto positum est [4]). Ita omnes: unde auctores, quamquam permittunt, contra iniustum vitae agressorem vim vi repellere, etsi fiat cum iniusti aggressoris occisione, tamen asserunt, charitatem suadere [5]), aliquando exigere, ut ego potius mortem subeam [6]), nimirum raro quidem exigere, sc. quando certus sum, aggressorem materialiter tantum iniustum in statu peccati esse atque spes affulget, eum postea salutem aeternam assecuturum.«

Et ideo matri honesta causa praesente, i. e. salutis aeternae infanti procurandae gratia, mortem subire licere, nemo negaverit, quinimo D. D. asserunt, ut supra vidimus cum *S. Alphonso* (l. c.): »si cum morte matris spes vitae el baptismi prolis affulgeat, tenetur mater (secundum plerosque sub mortali), abstinere ab omni remedio destructivo prolis, quia tenetur vitam corporalem exponere pro ex-

1) *Thom.* II. 2. q. 64. a. 5.
2) *Tamburini*, l. c. lib. VI. cp. II. §. 1.
3) *Reiffenstuel*, l. c. tr. IX. dist. III. q. I.
4) *Laymann*, l. c. to. I. l. III. tr. III. p. III. cap. I. n. 4.
5) *Lehmkuhl*, l. c. p. I. n. 834.
6) scilicet si mihi peccati mortalis non sum conscius vel saltem contritionem excitavero.

trema necessitate spirituali infantis.« Unde ipse *Roeder* [1]) concedit, matri id facere licere et esse maximi animi [2]).

Nempe iam Joannes evangelista in ep. 3. scripsit: »In hoc debemus pro fratribus animas ponere.«

Non licet foetum perdere tamquam »iniustum aggressorem.«

A multis foetus in utero matris habebatur aggressor etsi non formaliter tamen materialiter iniustus, ideoque dicebant, matri licere foetum quovis modo expellere.

Avanzinius [3]) ita argumentatur: . . . »infans in quaestione, de qua agimus, non est innocens adaequate, est innocens formaliter tantum: materialiter est aggressor iniustus, qui vitam matris invadit. Sane, quaenam est vera atque efficiens causa mortis matris?

Infans eius est, et unice infans, qui eam non occidit tantum, sed atroci quoque cruciatu . . ., infans de quo agimus est aggressor iniustus positive . . . iusteque ideo interficiatur.«

Imprimis notandum est, moralistas dissentire, utrum liceat, in defensione contra iniustum agressorem directe eius mortem intendere, — quod, uti ex se apparet, in casu nostro asseclae abortus directi et craniotomiae, admittunt, — an solam suam salutem, quae quippe nisi morte iniusti aggressoris parari potest [4]).

Deinde non stare posse videtur illud cl. *Avanzini*, nempe infantem esse veram atque efficientem causam mortis matris, vel, ut utar verbis *Pennachi* [5]) »foetum esse per se et efficienter maternae mortis causam« ideoque habendum ut iniustum aggressorem.

Nam dicendum, foetum non esse per se et efficienter causam mortis matris, sed summum per occidens; nam »foetus neque ab initio neque gestationis decursu matri ullam intulit mortis causam; sed conditiones quaedam emerserunt, quibus et ipsius et matris vita in periculum vocata est. Sed eiusmodi circumstantiae et conditiones non tam a foetu quam a matre dependent, cum earum causa sint vel pelvis angustia vel debilitas vel aliqua physica imperfectio.« Quomodo ergo potest haberi foetus causa efficiens maternae mortis, cum ipso *Pennachi* annuente causa efficiens illa dicitur, quae ex se

1) l. c. p. 25.

2) cf. *Castropalao*, Opus moral. etc. de car. d. 1. p. 9. regulam primam: In extrema necessitate spirituali proximi debes (ex caritate) non solum bona temporalia, sed etiam vitam impendere, et *Thom.* II. 2. q. 26. a. 5.

3) Acta s. Sedis vol. VII. pag. 287.

4) cf. *Lehmkuhl*, l. c. vol. I. n. 833.

5) l. c. pag. 102.

ipsa et directe influit in effectum? Unde rectissime *Capellmann* [1]): »Das Kind ist ohne jede eigene Thätigkeit und ohne einen Willensakt in die Lage gekommen, für das Leben seiner Mutter eventuell gefährlich zu werden. Daher kann von einem ungerechten Angriff absolut keine Rede sein. . . . In der bei weitem grössten Mehrzahl der Fälle liegt das Geburtshinderniss auf Seiten der Mutter durch Beckenenge etc. . . . Wenn also durch einen Willensakt der Mutter, die Zeugung, das Kind ohne sein Zuthun in die intrauterine Situation gekommen, wenn durch eine von der Mutter ausgehende Thätigkeit die Entfernung des Kindes aus dem Uterus erstrebt wird, wenn endlich (meist wenigstens) Hindernisse, die von der Mutter ausgehen, diese Entfernung stören oder hindern und durch diese sämmtliche von der Mutter ausgegangenen Umstände das Leben Beider in Gefahr kommt, kann da noch mit irgend einem Recht das Kind ein »Angreifer« oder gar ein »ungerechter Angreifer« genannt werden?«

Simili modo argumentur cl. *Lehmkuhl* [2]): »Verum principium illud de repellendo aggressore in illis circumstantiis certe applicatu difficile est . . . Nam 1. eodem iure aut potiore dicere possum, matrem esse aggressorem vitae infantis, . . . 2. si ex foetu in materno utero existente matris morbus aggravatur et fatalis evadit, eodem fere modo aggressor est vitae matris, sicut aliquis, cuius societatem evadere nequeo quique peste affectus vitam meam invadit: at talem hominem occidere certissime nequeo et dein abiicere: summum potero ipsum, etiam praevidens eum moriturum esse, domo expellere, si possibile est, sed letale vulnus ei infligere, antequam expellatur, non licebit unquam.«

Neque per analogiam iustificatur abortus directus vel craniotomia.

Confirmare student denique liceitatem abortus directi vel craniotomiae per analogiam dicentes nempe: Et D. D. permittunt interficere innocentem nonnunquam, si aliter vita servari non potest. Ita *Tamburini* [3]): »Inquires: an liceat aliquando ob tuam defensionem interficere innocentem et non aggredientem? Solet afferi exemplum duplex. Primum: Si quis v. g. te aggrediatur obiiciatque quasi pro scuto hominem innocentem, ut ab aggressore te defendas? Secundum: Si tu v. g. equo assidens fugias inimicum te occidere volentem: potesne conculcare puerum vel claudum in via forte iacentem, si aliter vitae tuae servire non vales?

1) de occisione foetus etc. pag. 24.

2) l. c. vol. I. n. 847,3.

3) l. c. l. VI. cap. I. §. 1. n. 12. 13.

Respondeo, utrumque posse non intendendo mortem pueri nec impetendo innocentem, sed aggressorem, quamvis inde intermedia persona innocens vulneretur et caedatur.

Ratio est, quia id non est directe occidere, sed tuam servare vitam, quamvis inde per accidens et indirecte mors alterius consequatur . . . Quid si ille puer in via iacens non sit baptizatus? Respondeo: *Lessius*, l. 2. cap. 9. dub. 9. n. 59 putat non licere tunc . . ., at an liceat colligatur ex dictis l. 5. q. I. §. 2. n. praesertim 8 (Iam vero I⁰ *Sanch.* distr. 10. n. 9: Unde credendum Soto et Sà., censentibus, neminem cum periculo vitae teneri infantem baptizare)[1].« Videtur ergo, et matri licere abortum et craniotomiam permittere, ut salvetur.

Iam ex relatis verbis cognosci potest, quantum differat hic casus ab abortu imprimis craniotomia minimeque videtur ex eo deduci posse liceitas talis actionis. Sensus evidentius apparet ex eis, quae egregius ille Lugo de tali casu scripsit[2]), quaestionem: utrum saltem indirecte liceat interficere innocentem? affirmative in certis circumstantiis ponens. »Et imprimis quaeri solet, quando iniustus invasor . . . protegit se opponento tibi infantem innocentem, ne a te percuti possit, an liceat, si aliter eum non potes ferire, per ipsum etiam infantem oppositum eum petere? Negare videntur aliqui, alii communiter et verius affirmant . . .

Ratio est, quia sicut actio eius, qui comburit innocentes in turri simul cum nocentibus, licita est, quia ex intentione agentis solum tendit ad comburendos nocentes, licet hic et nunc non possit combustio horum separari a combustione illorum, sic actio, qua homo petit invasorem iniustum, ex intentione agentis solum tendit ad feriendum illum, licet hic et nunc non possit ictus ille non laedere simul innocentem intermedium propter localem coniunctionem utriusque; ergo sicut combustio illa licita est, sic et ictus iste; utitur enim suo iure gladium dirigens ad nocentem per viam illam rectam, per accidens autem est, quod in illo spatio intermedio inveniat etiam innocentem . . . Adverte tamen pro hoc et aliis casibus, quando dicimus licere occisionem innocentis aliquando, quando ipsa non intenditur, sensum non esse, quod ipse non intendatur ut finis, ita ut licita sit, quando assumiter ut medium ad occidentum nocentem; hic enim sensus falsus esset; nam sive intendatur ut finis sive eligatur ut medium semper est illicita, si directe eam velis . . . Si ergo occideres innocentem volendo hoc ipsum, ut occidere posses nocentem, iam directe velles et intenderes occisionem innocentis, quod quidem licitum nunquam est. Unde in casu proxime adducto, si vides, te non posse occidere invasorem, qui se infante protegit, nisi prius rumpas infantem atque ita libere possis, postea alio ictu hostem petere . . . actio illa erit illicita, quia ille ictus directe et per se tendit ad mortem infantis, quam assumis ut medium ad occidendum postea hostem« . . . Expresse igitur postulat, ut occisio infantis licita sit, Lugo: 1⁰ ut uno eodemque ictu et iniustus invasor et infans protegens occidatur[1]) et 2⁰ ne occisio innocentis directe intendatur neve ut medium neve ut finis, sed solum conservatio vitae. Nec mirum, cum D. D. plerique in defensione cruenta licita poscant, ut »tota voluntas feratur tantum in conservationem propria vitae.« (*Thom.*)[2]).

1) cf. *Alphons.*, l. c. l. IV. n. 393. *Diana*, de homicidio resol. 18; *Lacroix*, l. III. p. I. dub. 4; *Bonacina*, de restitut. disp. II. g. ult. p. 7 n. 1; *Rodriguez*, Summa t. I. c. 220 n. 7 et alios.

2) De Just. disp. X. n. 124.

1) *Alphonsus*, l. c. 2⁰. Licet eodem ictu percutere hostem et infantem, quem in ulnis gerit, at minime liceret primo ictu occidere infantem, ut secundo ictu pereat hostis.

2) cf. *Lehmkuhl*, l. c. vol. I. n. 847.

Sectio II.

Operationes in partu licitae.

Ex rationibus adhuc relatis videtur emanare: Illicita est craniotomia et abortus artificialis directus foetus viventis[3]), directa intentione provocatus, excepto, quoad abortum, uno casu, quem *Riegler*[4]) refert, nempe, si tempus normale gestationis certe sit praeterlapsum. Emergit autem denuo quaestio: Estne ergo medico timerato nullum medium licitum mulieri propter graviditatem periclitanti subveniendi? Responderi posse videtur: Sane, nempe: 1⁰ Partu praematuro; 2⁰ Abortu indirecto; et 3⁰ Sectio caeserea. De quibus singulatim nunc tranctandum.

Partus arte praematurus.

Iam supra adnotavimus, partum praematurum medicos eum dicere, qui perpetratur eo tempore, quo infans separatus ab utero matris vivere potest, quod contingit duodetrigesima vel trigesima circiter gestationis hebdomade praeterlapsa. Talem operationem ex rationabili et iusta causa positam licere, omnes consentiunt, quoniam in-

3) expulsio foetus iam mortui sane licita est quamquam difficilimum id explorare (cf. *Capellmann*, De occis. pag. 23 nota 1 et *Debreyne*, l. c. pag. 258

4) cf. *Schroeder*, l. c. pag. 443.

tentio et effectus sunt bona, — salutis temporalis et matris et infantis, nonnunquam huius etiam aeternae solum remedium —, actio denique saltem non est intrinsece mala.

Quoad effectum, non negandum vitam infantis in aliquod periculum vocari, sed is non directe occiditur, et potest non interire et iam seclusus ab utero vivere. Iuvat, transcribere ex *Horwitz* [1]) nonnullorum animadversiones medicorum in hac re:

Spiegelberger, qui partum arte praematurum respuit etiam in »pelvi iusto minori«, enumerat 307 tales partus; ex quibus erant

165 = 53 % spontanei,

matres	vivebant	161 = 97 %;	mortui sunt	4 = 2,4 %,
infantes		139 = 84 %;		26 = 15 %.

Ipse provocavit *Spiegelberger* 16 partus arte praematuros:

matres	vivebant	11 = 69 %;	mortui sunt	5 = 31 %,
infantes		4 = 25 %;		12 = 75 %.

Horwitz observavit partus arte praematuros: 142; in quibus

matres	vivebant	126 = 88,7 %;	mortui sunt	16 = 11,2 %,
infantes		54 = 38 %;		88 = 61,9 %.

Kilian: 161; mortuae sunt matres: 8,
Figueira: 280; mortuae sunt matres: 6,
Krause: 1026; mortuae sunt matres: 57.

Provocatio partus praematuri matri plerumque minus periculosa teste *Horwitz* [2]) quam partus maturus.

Infantes ante normalem finem gestationis in lucem arte editos facilius mori quam maturos, non mirandum [3]). *Horwitz* composuit tabulam [4]), ex qua deducitur, morbilitatem infantium artificiali partu editorum multo minorem esse quam mature partorum (17 %), mortalitatem, uti ex sese apparet, aliquanto maiorem.

Quoad indicationes, quas ponunt medici insinuantes necessitatem partus arte praematuri, alii alias afferunt. Agitur, uti in abortu, de praesenti vel de futuro periculo. Morbus v. g. [5]), qui aliis remediis non exstinguitur, et si simul spes, praematuro (arte) partu vel omnino sanandi vel saltem minus periculum adducendi, affulget, persaepe id remedium insinuat. Plurimi medici commendant partum arte praematurum, si pelvis mulieris praegnantis est iusto minor, ita

1) l. c. pag. 25.
2) pag. 30.
3) cf. quoad mortalitatem infantium primis annis *Vierordt*, l. c. pag. 602 n. 595.
4) l. c. pag. 32.
5) *Schroeder*, l. c. pag. 250 seqq. *Capellmann*, de occisione foetus pag. 79 seqq. etc.

ut diameter brevissima in arctitudine inaequali est 2'' neque maior quam $3^1/_4$''; inaequali arctitudine coniugatae non minor quam $2^3/_4$'' neque maior quam $3^1/_2$'' [1]). — In partu nempe maturo, si exspectatur, in tali casu et matrem et infantem in maximum periculum vocatum iri probabilissimum est, vel ambo peribunt. Tamen experientia docet, medicos saepe deceptos esse et praeter exspectationem felicem partum evenisse propter compressibilitatem partium infantis.

Indicatio necessitatis provocandi partum praematurum mihi esse videtur, quam refert *Schroeder*, l. c. p. 250: »si enim teste experientia certo gestationis tempore foetus semper perit et hoc fieri solet ad finem naturalem graviditatis, quoniam infans tantum hoc remedio particeps fit gratiae baptismi, sicut in alio casu, quem teste *Schroeder Stehberger* memorat, nempe si mors matris sine dubio imminet, quoniam et in hoc casu tali remedio infans tutius baptizatur, non negans, talem miseram matrem non vane vexandam ideoque, si fieri potest sine damno foetus, eius mortem exspectandam.«

Abortus indirectus.

I. Iam supra vidimus, omnes fere moralistas asserere, licere matri aegrotanti ex rationabili causa pharmacum porrigere, ex quo praeter intentionem abortus subsequatur.

Attamen notandum:

1° quoad periculum, quod imminet: ut sit verum, non solum in mente medici vel gravidae; sit grave, praesens vel certe aut probabilissime futurum et matri tantum aut matri et infanti simul imminens et eo gravius, quo facilius medio adhibito abortus indirecte sequi possit;

2° quoad remedium: ut non tendat, saltem non directe, ex sese, ad abortum; sit ex sese curativum matris neque adducens abortum, si autem adducere potest abortum, saltem aequaliter curativum quam adducens abortum et saltem simul, non ita, ut adducendo abortum fiat curativum, sit necessarium vel saltem optimum, non ita ut cum maiore abortus periculo celerius morbus sanetur, qui et alio medio adhibito abortum minus includente tardius, sed etiam certo sanari potest;

3° quoad electionem et applicationem: eligatur, si periculum minus grave est, pharmacum, quod rarius et minus probabiliter adducere abortum, directe vel indirecte accelerare vel iuvare possit.

1) *Capellmann*, l. c. pag. 81. cf. *Horwitz*, pag. 32, qui distinguit inter primoparas et multiparas.

Adde autem, quod *Stöhr*[1]) ait, esse nempe perpauca remedia, quae dosi, quae praescribuntur et sumuntur ad recuperandam sanitatem, simul periculum abortus adducant.

Experientia enim docemur, etiam tum, cum malitiose abortus intenditur, finem propositum raro effici. E contra operationes chirurgicae in muliere praegnante, teste *Schroeder*, periculum magnum abortus semper inducunt, etsi non tantum, quantum antea. Unde

a) Licet ex rationabili et gravi causa, inducere partum praematurum, etsi infans alter ex alia ovulationis tempore adest, cui ex illo perpetrato abortus imminet et subsequitur. Negari enim non potest, concipere posse mulierem gravidam tempore gestationis praesertim primis graviditatis tribus mensibus duplici utero existente, quem physiologicum effectum dicunt medici superfoetationem[2]).

b) Licet operationes in uxore praegnante perpetrare, etsi adest periculum abortus, si eae nunc saluti matris omnino necessariae sunt.

c) »Licet, matri sumere et praebere remedium per se curativum matris, nec per se tendens ad abortionem, quamvis sit periculum, ne inde abortio sequatur«, si de gravi seu lethali morbo matris curando agitur, conditio morbi id remedium exigit et cautio, ne abortus fiat, quantum fieri possit, adhibetur. Ratio: sequitur ex principiis de voluntario indirecto (*Lehmkuhl*)[3]), et quia mater habet ius ad conservandam vitam et sanitatem suam, ergo et ad sumenda medicamenta, quae per se solum tendunt ad recuperandam pristinam sanitatem, esto per accidens inde secuturus praevideatur abortus. (*Elbel*).

d) Si medicina aequaliter tendat ad salutem matris et ad necem foetus, praeferri potest, — ut videtur, — vita matris saluti foetus: eo etiam maxime, quod matre pereunte — imprimis diuturno morbo — pene miraculum sit, si foetus incolumis evadat. (*Diana*).

e) »Quando aegrotante matre,' periculum abortus aeque instat, tum si illa remedium ad morbum curandum sumat, tum si non sumat eo, quod vis ipsa morbi (ut subinde contigit) abortum infert, licet medicinam sumere: neque enim prodesset proli abstinentia a remediis atque adeo mater vitae consulit sine maiori prolis detrimento.« (*Antoine*, *Gury-Ballerini*).

II. Abortus indirectus ideoque licitus esse videtur in casu illo, quem eruditissimus et timoratissimus Dr. *Capellmann* proponit[4])

1) l. c. pag. 459.
2) *Schroeder*, l. c. pag. 75 seqq. *Vierordt*, l. c. pag. 584 seqq.
3) l. c. p. I. n. 12.
4) in Pastoralmedicin etc. pag. 15 et opusculo: de occisione foetus pag. 46.

assentiente Dr. *Stöhr*[1]) et *Olfers*[2]), unicam abortus indicationem ex permultis a medicis relatis. In retroversione enim, descensu et prolapsu uteri, in ulcerationibus uteri vel caeterarum minoris pelvis partium tertio vel quarto gestationis mense accidit, ut uterus nimis dilatetur et augeatur, ita ut promontorium transcendere nequeat. Inde emergunt perquam magna pericula et matri et infanti[3]).

Omnibus aliis remediis in tali miserrimo statu adhibitis, quin effectus bonus secutus sit, et matre in extremo periculo versante, videtur licere unico adhuc salutis remedio uti, i. e. punctione uteri aquam, in qua natat foetus, subtrahere.

Res sic se habet:

1º mater est constituta in immediato, directo mortis periculo sicuti infans, qui fortasse ante mortem matris peribit;

2º omnia alia salutis matris remedia frustrata sunt;

3º restat unicum et salutare, scilicet emissio aquae foetalis uteri punctione;

4º effectus directus et immediatus est repositio uteri et salus matris deminutione uteri volumis[4]);

5º abortus subsequi potest, sed non debet;

6º effectus bonus directus et immediatus est saltem aequivalens effectui indirecto possibili malo;

7º punctione uteri omissa etiam persaepe abortus spontaneus accidit; adde

8º quod eo remedio probabiliter infans baptizari possit, quod aliter impossibile, et

9º abortus non intenditur neque est remedium intentae matris salutis, sed emissio aquae natalis, quare Capellmann talem operationem obstetriciam vocare vult abortum indirectum.

Quaeri solum possit, num punctio uteri sit licita? Affirmandum videtur, quoniam emissio aquae foetalis non semper causare videtur abortum, quin imo nonnunqam foetus in pelvim maiorem ascendit abortu non secuto.

III. Similiter diiudicari posse videtur, si ante duodetrigesimam hebdomadem, at altero gestationis dimidio matre in extremo mortis periculo constituta constat, vel illam vel foetum vel ambo perituros esse, nisi abortus provocetur aut sectio caesarea perpetretur, gravida

1) l. c. pag. 459.
2) l. c. pag. 18.
3) *Capellmann*, l. m. c.
4) *Olfers*, l. c. pag. 18.

autem omnino hanc respuit vel haec non amplius perpetrari potest. *Capellmann*[1]) tenet, medico obstetricio nihil remedii esse neque operationis; sed *Olfers*[2]) censet licere abortum provocare vel partum immaturum et eum esse tali tempore et conditione interpretandum indirectam innocentis occisionem, quae interdum licita sit. Nam rationes similes, ut supra, nempe:

1° infans non directe occiditur, sed potest vivus nasci et vivit saepe per viginti quattuor horas; vocatur autem in statum, in quo vivere diutius non potest; theologi autem videntur abortum intelligere occisionem embryonis directam[3]). Sed distinguendum est, inter periculum praesens matris et futurum cum **Lehmkuhl** et statuendae conditiones, quibus fortane illa eiectio licita videntur, v. gr. si periculum non sit proximum, sed futurum, illud tempus expectetur, ex quo foetus propter magnitudinem vere fatalis fieri incipit matri;

2° foetus abortu etiam ommisso demorietur;

3° occisio directa non intenditur neque sequitur neque est salutis matris remedium;

4° infans rite et valide baptizari potest, quod in utero aut impossibile aut dubium;

5° effectus bonus (salus matris et baptismus infantis) aeque immediate vel potius prius sequitur quam effectus malus (mors imminens infantis) et aequipollet.

Quid veri sit in hac expositione, alii videant; videtur in tali casu, imprimis cum proprius sit tempus partus praematuri[4]), negligi posse parvam illam vitae iacturam[5]), ut infans vitam aeternam consequatur et mater servetur. Aliter esse videtur, si spes affulgat[6]) mortua matre infantem vivum in lucem editum baptizari posse, etsi mihi etiam in talibus circumstantiis immaturus partus non omnino displicet rationibus modo allatis.

IV. Huc referendum videtur casus ille a *Gury* in opere suo »Casus conscientiae« productus, nempe:

---

1) Pastoralmedicin pag. 14.
2) l. c. pag. 16.
3) ***Lehmkuhl***, l. c. vol. I. n. 846. cf. expositionem liberorum, privationem necessarii, quas nemo nominet directam occisionem.
4) et nonnulli medici intelligunt partum post vigesimam gestationis hebdomadam partum praematurum (*Stöhr*, l. c. pag. 303) quoniam fieri posset infantem speciali cura vivere.
5) ***Alphons.***, l. c. l. 5. n. 106 in fin.
6) ***Alphons.***, l. c. l. 4. n. 394.

Pelagia mulier a quattuor vel quinque mensibus praegnans in summo vitae periculo constituitur, et videtur iamiam animam efflatura.

Praeter medicum ordinarium tres alii advocantur consilii capessendi causa. Re sedulo perpensa sic unanimiter resolvunt: si ope artis medicalis procuretur eiectio foetus, hic quidem peribit, sed probabiliter poterit baptizari antequam extinguatur, et mater certo mortis periculo eripietur. E contrario, nisi ita fiat, actum est tum de matre, tum de prole et haec baptismi beneficio carebit.

His statutis concludunt ad abortum procurandum. Eventus praevisionem medicorum probavit; prolis enim eiecta et baptizata illico extincta est, et Pelagia salva tanto periculo evasit.

Hinc quaeres: Quid iuris? Seu an stante casu, ut iacet, abortus procurari potuerit?

Solutio: Negant plerique veteres theologi, qui abortum indistincte considerare consueverunt tamquam directam prolis occisionem.

Attamen affirmandum videtur cum recentioribus Doctoribus in casu, ubi mera habetur partus acceleratio. Tunc enim non intervenit directa occisio foetus, qui tantum amovetur a loco, in quo vivere non potest, et statuitur in alio loco, in quo magis vitam producere nequit; et proinde in peiori conditione minime constituitur, atque aliunde beneficio baptismi donari potest. Tunc igitur mater iusta de causa mere cessat a vita prolis custodienda. Etenim, ut scite observat Lugo de iust. et iur. disp. X. n. 133, mater non tenetur cum tanto vitae suae periculo et detrimento foetum conservare, sicut nec natum iam filium tenetur cum vitae discrimine alere et retinere.

Placet tamen moderatio, quum huic doctrinae postea addidit. *Vasquez*, nempe hoc intelligendum esse de sanguinis missione, de balneis et huiusmodi remediis, quae non tendunt ad foetus occisionem; non vero de remediis, quae positive ad eius mortem concurrent.

Audiamus denique rationes cl. *P. Lehmkuhl* in eiusmodi statu[1]): . . . »quaeri debet, qua (ratione) hanc invasionem in foetum eiusque vitale elementum licitam esse ostendat. Per se nimirum foetus ad illud elementum vitale, inexistentiam in utero dico, ius habet, quum natura hoc pro ipso condiderit. At potestne fortasse in illis circumstantiis ius illud alio iure, i. e. matris vinci, vel si mavis potestne foetus huic iuri suo renuntiare, et si potest, estne dicendus reipsa renuntiare? Quod sane videtur. Nam si fas est hanc existentiam

---

1) l. c. vol. I. n. 843.

foetus in utero considerare ut bonum foetui extrinsecus ad vitam necessarium: foetus huic bono 1° potest renuntiare in favorem maternae vitae, fere sicut in naufragio amicus amico tabulam cedere potest, se ipsum undis committens atque mox periturus, atque 2° revera renuntiare dicendus est, quia in illis circumstantiis ius illud sibi evadit plane inutile, quippe quod a certa morte se non defendat, imo si ad supernaturalem finem respicimus, aggravat periculum sine baptismo decedendi, qui abortu secuto foetui applicari potest. Si vero considerari debet illa existentia in utero tamquam elementum intrinsecus cum foetu eiusque vita coniunctum, tamen id quod primo et per se invaditur, non est ipse foetus vivus, sed aliquid, quod pari iure matris esse dixeris, quam foetus, atque huius ius ut collidens cum iure matris precarium videtur evadere, sicut ius ad communem aërem, si fingas casum, in quo pro me et socio a me recepto aër iam non sufficiat.«

Sectio caesarea.

Aliud remedium mulieri propter graviditatem periclitanti subveniendi est operatio, quae dicitur sectio caesarea vel hysterotomia. Sit primum

Historica sectionis caesareae synopsis.

Nomine caesareae operationis illa intelligitur matris ventris et deinde uteri incisio, qua foetus, qui mulieris praegnantis sinu per viam naturalem ad lucem edi nequit, artificialiter educitur ea sane mente, ut vel matris vel filii vel utriusque simul bono temporali et spirituali consulatur [1]).

Haec operatio dici fertur ex *G. J. Caesare*, qui ita natus esse enuntiatur; appellatur et Hysterotomia (ὑστέρα = uterus) potestque fieri matre mortua vel adhuc viva.

Iam in libris Talmud videtur agi de tali pariendi methodo [2]). Odo, episcopus Parisiensis, saeculo iam duodecimo praescripsit, ut venter mortuae gravidae, si infans vivere putaretur aperiretur, et Concilium Languense 1404 largitum est omnibus, qui in hac operatione subvenirent, indulgentiam 40 dierum [3]). Synodus Coloniensis 1528 et Cambracensis insinuant etiam hanc operationem, postulantes,

1) *Schroeder*, l. c. pag. 352.

2) *Jotze Dofan* cf. *Mansfeld*, de antiquitate uteri et ventris sectionis apud vivas 1824.

3) *Verdre*, Jurisprudence de la chirurgie en France t. II. pag. 627 apud. *Stöhr* pag. 310.

ut adhibeantur remedia, quibus matre demortua foetus vita salvetur [1]), et usque adhuc valet praeceptum ecclesiae Rituali Romano latum [2]) »si mater praegnans mortua fuerit, foetus quam primum caute extrahatur ac, si vivus baptizetur,« quod relegit Instructio-Pastoralis Eystettensis his verbis [3]): »Si constet, certo matrem praegnantem mortuam, esse foetus partu caesareo i. e. facta caute sectione extrahi debet, et si erit vivus, baptizari . . . *Rousset* et *Banhin* enumerant 15 operationes caesareas ex saeculo decimo sexto sed perquam dubias. Primam certam Laparohysterotomiam perpetravit 1610 *Trautmann*, chirurgicus Wittenbergensis, auctoribus *Tandler*, *Sennert* et *Dovering* [4]). *Wrisberg* et *Heisler* demonstraverant, matre defuncta infantem vivere posse ideoque postulaverant, ut caesarea sectio in tali casu perpetraretur [5]). Peculiares Hysterotomiae in Germania fautores erant *Levoret* et *Stein* natu maior.

Non parvi momenti sectioni caesareae fuisse videtur Embryologia sacra Fransisci Em. Cangiamilae Canonici Panoramitani, qui permultos ennarrat infantes matre iam defuncta ita natos esse intra triginta annos [6]), ita ut ex altero duodevigesimi saeculi medio in terris fere omnibus catholicis lex vigeret, ut, imprimis repente mortua muliere gravida, sectione caesarea infans in lucem ferretur. Severissime id praecipitur in Sicilia [7]), in Patrimonio S. Petri per Benedictum XIV., in Austria per Augustam Mariam Theresiam, d. d. 13. April 1757. Etiam in Hispania et nonnullis Germaniae civitatibus usque in novissimam aetatem eiusmodi leges perduraverunt.

Hic autem consideramus Hysterotomiam solum adiutorium obstetricium, i. e. in matre vivente; cum medici, si optio datur inter abortum vel perforationem et hanc operationem, plerumque abortu vel perforatione utantur ex variis causis, imprimis propter nimium sectionis caesareae periculum, videtur tantum nobis agendum de periculositate et liceitate vel obligatione Hysterotomiae in uxore vivente.

1) *Debreyne*, l. c. pag. 220.

2) de baptizandis parvulis n. 17.

3) editio II. pag. 67.

4) *Wachs*, Caesar. sectio Wittenberg. a. 1610. Lipsiae 1868 apud *Schroeder*, l. c. pag. 352.

5) *Haller*, Bibliothec. chirurg. t. I. *Heister*, dissertatio de foetu ex utero matris mortuae exscindendo: §. 42: ego dixi et scripsi meam sententiam animamque meam hoc ipse servasse credo. Iuris consultorum nunc erit legem tam piam tam utilem denuo instaurare etc, *Stöhr*, l. c.

6) cf. *Stöhr*, l. c. 307; *Debreyne*, l. c. III. pag. 198.

7) *Joh. P. Frank*, Systema medic. forens. Wien 1786 vol. I. pag. 539.

Periculositas Hysterotomiae.

Si quaereas, cur medini malint abortum vel perforationem, quam caesaream sectionem, id defendunt nimia huius operationis periculositate, quem confirmant: 1⁰ difficultate in exercendo et 2⁰ infelicibus adhuc exitibus hysterotomiae.

Quod attinet ad difficultatem in exercenda hysterotomia praesertim nonnunquam in pago, ubi non suppetunt alii medici, ita ut aliae uterum circumdantes partes inficiantur secretis plerumque iam subputrefactis ex utero emanantibus, nunc temporis chloroformio, anaemia adducta aliisque remediis fortasse hypnotismo [1]) et aliis cautelis adhibitis, teste *Stöhr* [2]) periculum et infectionis et infelicis exitus saltem pervalde minuitur, si non tollitur, imprimis cum re cognita uti possis caesarea sectione viribus matris partu nondum defectis. Quare laudatus hic auctor sperat fore, ut tempore futuro proxime nemo medicus infantem in utero amplius perforet, non tam propter legem divinam, quam propter progressum artis medicalis.

Adde, quod medici recentiori ipsa aetate operationes feliciter exercuerunt multo periculosiores quam hystorotomia, quas adhuc nemo aggredi ausus sit, v. g. exemptionem costae vel operationem in stomacho ventrem aperiendo, extirpationem alterius renum etc. etc.

Quod deinde spectat ad infelices histerotomiae eventus, compositio casuum ex auctoribus de hac re locutis desumpta demonstrat et minui tales infelices exitus progressu artis medicinalis et talem operationem praeferendam esse perforationi.

Dr. *Garimond* [3]) asserit, ex 100 matribus sectionem caesaream passis vivebant:

ab anno	1750	usque ad annum	1800: 32
„	1801	„	1832: 37
„	1832	„	1839: 51
„	1839	„	1861: 60

Michaelis [4]) adnotat:

ante hoc saeculum tali operatione salvabantur ex 148 . . . 70,
hoc saeculo . . . . . . ex 110 . . . 48;

1) Dr. *E. L. Fischer*, Der sogenannte Lebensmagnetismus oder Hypnotismus. Mainz 1883, pag. 22.
2) l. c. pag. 305.
3) *Capellmann*, Med. past. pag. 17.
4) *Capellmann*, De occisione foetus pag. 35.

Kaiser [1]):

ab anno 1750 usque ad annum 1800 ex 117 matribus sectis 37 salvabantur
„ 1800 „ 1839 ex 221 „ 91 „ } = 38 %

Lacombe	refert	78	c. s.	viveband	matris:	46 = 60 %
Villeneuve	„	86	„	„	„	60 = 69 %
Hermann	„	100	„	„	„	57 = 57 %
Baudelocque	„	111	„	„	„	47 = 42 %
Klein	„	116	„	„	„	90 = 77 %
Hull	„	112	„	„	„	69 = 63 %

Si ergo ex hisce relatis concludimus, ex 100 matribus sectis salvantur 55.

Magis etiam favet caesareae sectioni, quod notat auctor »Disputationes« [2]) ex documentis omni fide dignis:

Chirurgorum nomina:	numerus sectionum;	felices exitus:
Stolz	6	4
Deecoene	6	5
Borney	2	1
Bosch	5	4
Hoebeke	16	11
Winkel	15	7
Belli	8	3
Maslieurat-Lagemard	6	6
Gaillard	5	3
Vanverts	2	1
Prévost	7	6
Windriff	2	2
Ronvin	2	2
Oettler	4	4
	86	59 = 68 %

Non tamen praetereamus id, quod *Meyer* [3]) invenit, nempe passae sunt caesaream sectionem mulieres:

in Britannia	480;	mortuae sunt:		244;	salvatae	236 = 50 %
„ Germania	712	„	„	380	„	332 = 47 %
„ Gallia	344	„	„	191	„	153 = 45 %
„ Belgia	11	„	„	7	„	4 = 37 %
„ Italia	46	„	„	41	„	5 = 13 %
„ America	12	„	„	4	„	8 = 67 %
	1605	„	„	867	„	738 = 46 %

1) eod. loco. — 2) l. c. pag. 270. — 3) Sella gastroisterotomia Napoli 1867. cf. *Schroeder* pag. 358.

Si nunc computamus omnes eventus, resultat: ex 100 mulieribus sectis salvantur circiter 56,5 et moriuntur 43,5, sane felix prognosis, cum recogitemus, in aliis necessariis operationibus perire circiter 49 %.

In Hospitali aegrorum enim Parisiensi [1])

mortui sunt ex 100 operationem passis:	
ex ampulatione:	62
ex ovariotomia:	33
ex herniotomia:	47
ex amputatione membrorum:	44
ex aliis operationibus:	59,5
	49,1°

Non est ergo, cur loquamur in hac operatione de nimio vel maiori periculo quam in alia necessaria. Si medici in favorem perforationis et abortus contendunt, prognosin illius esse faustiorem, cum mater perforationis instrumentis non laedatur, si praevideatur, et alia pericula non existant, tamen negare non possunt [2]), perquam multas matres mori. Cum autem *Schroeder* dicat, id accidere post, non propter perforationem, eandem causam et in favorem hysterotomiae vocare possumus, sicuti et alias causas exitus infelicis, puta tardiorem adhibitionem huius operationis.

Id autem medici omino negligunt plerumque in iuste diiudicanda perforatione et sectione caesarea, agi enim de duabus vitis, non de una. Et sub hoc iusto respectu hysterotomiam praeferendam esse perforationi, quis neget? Sacrificatur enim utique semper in hac operatione vita infantis, non autem in. illa. Ex 100 enim liberis salvati sunt sectione caesarea iuxta *Scanzoni* 65, *Michaelis* et *Hermann* 67, iuxta *Kaiser* 70, iuxta *Villeneuve* 72 [3]). Si nunc concludimus, valet

ex matribus	100	salvantur	circiter	56,5
ex infantibus	100	—	—	68,5
	200		—	125

cum in perforatione infantibus semper deletis ex 200 ad summum salventur matres 82 [4]). Adnotandum est, et in abortu prognosim non faustam esse matri, cum nimia sanguinis effusio, nimia animi perturbatio, partus immaturo tempore, reliquiae ovorum in utero remanentes aliive morbi subsequentes fere tantam teste *Capellmann* periculositatem inducant, quantam sectio caesarea.

1) *A. E.*, l. c. pag. 271.
2) *Schroeder*, l. c. pag. 339.
3) *Capellmann*, de occis. foet. pag. 36.
4) *Capellmann*, de occ. f. pag. 65.

Liceitas sectionis caesareae eiusque obligatio.

Perstringimus moralitatem i. e. liceitatem hysterotomiae, quoniam non defuerunt, qui sane propter infelicem exitum talis operationis suo tempore, ita ut secari et occidi unum esset, acriter adversarentur. Audias unum pro multis: »Quorundam, scribit *Comitolus* [1]), medicorum sententiam opinantium, ubi matris gravidae salus desperata est, ventrem eius licere discindi, ut proles servetur, christianae aures aversari debent: quam tamen medicus septuaginta annos natus, impudentissimus altercatione mecum habita, et magnis clamoribus propugnabat, sed eius audaciam et ferocientes spiritus theologicae rationis auctoritate compressi eumque pro officio monui, ut caedium, quarum in dissecandis mulierum uteris aut auctor aut suasor extitisset, veniam a Deo supplex deprecaretur . . .

Hic mihi sacrarum confessionum arbitri prorsus admonendi, ut cum ad eorum tribunalia isti matrum et puerorum carnifices accedunt, peracerba illos oratione castigent gravique poenitentia mulctent.«

Maiores secari et occidi, ut modo diximus, unum idemque putasse et ex hac sola causa caesaream sectionem prohibuisse, intelligas et ex *S. Thoma*, qui [2]) quaerit: »Utrum pueri in maternis uteris positi sint baptizandi,« et sic procedit . . . »3 . . Mors aeterna peior est quam mors corporalis. Sed de duobus malis minus malum est eligendum. Si ergo puer in utero matris existens baptizari non potest, melius esset, quod mater aperiretur et puer vi eductus baptizaretur, quam quod puer aeternaliter damnaretur absque baptismo decedens . . . Respondeo dicendum, quod non sunt facienda mala, ut veniant bona, ut dicitur Rom. III, 8, et ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.«

Idem prae oculis habens solvit *Alphonsus* [3]): »Et ob eandem rationem (scil. nunquam est licitum ob quamcunque causam innocentem directe occidere) non licet, incidere ventrem matris proxime moriturae, ut eius infans baptismum recipiat, ut communiter etiam dicunt . . . Nec valet dicere, quod vita spiritualis infantis debet praeferri vitae temporali matris; nam hoc intelligendum, ut quisque debeat quidem mortem sustinere, non autem, ut debeat nec ut possit mortem sibi inferre vel alterum occidere pro saluti spirituali pro-

1) Responsa moralia 1611 l. 1. qu. XIV. apud *A. E.*, l. c. pag. 265.
2) l. c. III. q. 68. a. 11.
3) l. c. l. V. n. 106.

ximi. Illic autem bene advertit *Croix* 293, quod mortua matre statim os eius aperiendum, ne infans suffocetur.«

Bene illustrat *S. Alphonsi* sententiam, quod sequitur: »Insuper putat Cont. Tourn. de praec. charit.« s. 4. punct. 1. concl. 2 v. Collig. 3 et Croix l. 6. p. 1. n. 293 cum Raymund. Gob etc. ex iudicio medicorum, bene posse matrem incidi et infantem baptizari sine morte matris: et hoc casu dicunt licite fieri incisionem et matrem teneri pati, si mater sit robusta et chirurgus peritus . . . Sed hic omnino puto distingendum; nam respectu ad chirurgum dico, tunc eum posse incidere matrem, si periculum mortis illius sit remotum, secus si proximum aut probabile . . . non licet matrem probabili periculo mortis exponere: quod periculum non video quomodo vitari possit in tam gravi incisione, videant periti.«

Cum autem artis medicinae progressu mortis matris periculum in sectione caesarea, ut ex collatis supra numeris colligas, non probabilius sit nec maius imo minus quam in aliis operationibus, quaerendum nunc est: num liceat alicui (matri, quae suae saluti providere potest) ob iustam causam (scil. ut infans. baptizetur etc.) se exponere mortis periculo? Id nemo negaverit. *Tamburini* scribit [1]): »Tunc indirecte quis dicitur se occidere, cum aliquid ponit vel omittit, quo posito vel omisso mors aliunde consequitur . . . Certum est aliquando licere . . ., sed difficile est decernere, quandonam id liceat . . . Sit ergo haec regula: quoties adest causa iusta, certe gravis aliquid agendi vel omittendi, quamvis ex illo mors per accidens sequatur,« et ita alii [2]). Ita et licet, imo oportet, sacerdotem providendi causa infirmum infectum v. g. peste, typho etc. visitare, sicuti et medicus id debet.

Quamquam D. D. consentiant, licere vitam suam periculo ob causam iustam exponere, discrepant, num mater obligetur, pati incisionem ventris et uteri, ut infans salvetur, imprimis baptizetur, si alias id fieri nequit. *S. Alphonsus* [3]) pergit: »Respectu vero matris, an ipsa teneatur incisionem pati? Dico quod, si periculum eius mortis sit probabile, ipsa nec tenetur nec potest suo positivo consensu ad incisionem concurrere; tantum posset, et teneretur illam pati, si chirurgus sine suo consensu (ipsa omnino negative se habente) incideret et spes probabilis adesset, prolem fore baptizandum ac mors matris non esset certa, nam in dubiu utrimque probabili tenetur ipsa vitam spiritualem prolis vitae suae temporali praeferre. Si autem sua mors sit certa et salus prolis dubia, nempe si proles non sit certe baptizanda, non tenetur ipsa vitam certe amittere.«

1) l. c. l. VI. op. II. §. 2.
2) cf. *Gury*, l. c. t. I. n. 389 seqq.
3) l. c.

Quod ergo attinet ad obligationem hysterotomiae subeundae, agi potest de ea sub duplici respectu, nempe, si haec operatio sit unicum remedium salutis temporalis matris vel unicum sit remedium salutis infantis aeternae et fortassis eiusdem temporalis aut amborum.

Quod attinet ad primam quaestionis partem, idem *Alphonsus* [1]) docet cum *Laymann* [2]) et aliis, non teneri quemquam servare vitam 1° mediis extraordinariis et 2° nimis duris v. g. abscissione cruris etc., vel ut *Gury* (l. c. n. 3I1. 3), non teneri quem 1° remediis extraordinariis, aut 2° quae maximum dolorem afferant, vitam conservare.

Quae duae conditiones non adesse in caesarea sectione videntur. Nam etsi non assentire velis *Stöhr*, qui [3]) »extraordinariis« ponit aequale »temerariis,« et si intelligimus »extraordinariis« in sensu suo proprio, id sane illa aetate, qua scripsere citati auctores, valuit, sed non amplius nostra aetate, cum progressu artis medicinae »spectata arte chirurgica non iam extraordinaria res sit [4])«, sicuti clare docet exemplum amputationis membri collatum. Dolores autem maximi adhibito chloroformio, aethere, evacuatione sanguinis artifialiter adducta methodo Emarchico etc. vel omnino tolluntur vel minimi redduntur, sicuti iam supra adnotavimus [5]). *Capellmann* [6]) fatetur, sibi saepe occasionem fuisse observandi, chloroformio etiam non adhibito tamen dolores talis operationis ordinario animi robore non esse intollerabiles. Timorem praecedentem peiorem operatione ipsa esse.

Quod denique spectat ad salutem infantis tali remedio omisso, *S. Thomas* [7]) interrogat: »Utrum homo magis debeat diligere proximum quam corpus proprium, et nisus illo *S. Augustini* (de doct. christ. l. 1. cp. 27. col. 19. t. 3) solvit: proximum magis, quod ad animae salutem attinet quam corpus proprium ex charitate diligere homines tenentur.« Adde deinde, quod D. D., cum asserant, matrem etiam morte certa imminente, si spes affulgeat,

1) l. c. l. IV. n. 372.
2) l. 3. tr. 3. p. 3 cp. 1. n. 5.
3) l. c. pag. 300.
4) *Lehmkuhl*, l. c. I. n. 572 non loquitur, tamen de sectione caesarea. Atque idem auctor recte monet, extraordinarium etiam diiudicari posse ex »horrore magno,« qua quis atrocem operationem timet. cf. etiam I, 844, 849.
5) pag. 80.
6) past. med. pag. 23.
7) l. c. II, 2. q. 26. a. 5.

matre defuncta extrahi et baptizari posse infantem, teneri remedio abortum indirecte inducente abstinere, insinuare videntur, eo magis teneri nempe ex charitate subire caesaream sectionem i. e. aliquod, sed non certae, mortis periculum, si hoc solum remedium baptizandi infantem adsit. Si autem salus amborum sectione tantum caesarea curari potest, magis valent rationes allatae.

Quamquam mihi ergo sub utroque respectu videtur, matrem in tali conditione teneri ex charitate hysterotomiam pati, tamen assentior cl. auctori »Disputationes [1])«, qui tenet in praxi, quia lex dubia obligationem certam inducere nequeat, »mulierem, quae sectionem . . . recuset, licet imprudenter forsitan agat, ad eandem subeundam cogi non debere« praesertim, ne bona fide privata de salute aeterna periclitetur [2]).

Nota 1. Licere videtur operatio chirurgica obstetricia, quam describit *Verardus Zeviani* libro, qui inscribitur: de Embryulcia, Veronae 1756 [3]): »Difficillimus omnium a recentissimis iisque peritissimis artis obstetriciae professoribus tristissimus et implicatissimus casus, qui, cum pariendi tempus accesserit, mulieribus accidere potest, ille iure censetur, cum foetus ob caput valde magnum, vel ob vias nimis angustas in ore uteri, vel vagina immotus haeret. Hic chirurgo ad extrema saepe et maiora artis praesidia veniendum est. Ibi enim impactus et quasi incuneatus foetus manet et fere intra triduum moritur matremque ipsam in gravi vitae periculo constituit, nisi protinus educatur. Educi autem facile, ut alias fieri solet, per manus chirurgi non potest, quia . . . . sine mortifera cerebri compressione retrudi nequit, ut pedibus apprehensis extrahatur foetus. Cum talis casus incidit, chirurgus uncum undique laevem, breviorisque acuminis, non festinanter nimis, capiti foetus infiget: deinde attrahit non omni omnino vi cogendo, sed ita ut ex facili integer foetus subsequatur. Sic fit, ut mater servetur ut plurimum, foetus vero aliquando.«

Nota 2. Non licet autem per se remedium infelici partui praeventivum, quod *Porro* [4]) recommendavit opusculo inscripto: Della amputazione utero-ovarica etc. Milano 1876, exsecando omnino mulieris uterum, ita ut in posterum amplius concipere nequeat [5]).

1) l. c. pag. 276.
2) cf. *Debreyne*, l. c. II. pag. 251 seqq.
3) *A. E.*, l. c. pag. 375.
4) cf. *Capellmann*, Pastoralmedicin, pag. 23 et seqq.
5) cf. etiam *Pennachi*, l. c. pag. 106. cf. et *Lehmkuhl*, l. c. II. n. 856.

Ipse *Schroeder* fatetur, se hanc operationem non putare in futuro vigentem, sed solum transitorium ad meliorem caesarem sectionem (l. c. pag. 358). Modo in duplici casu licere videtur, nempe si omnino necessaria ad sectionem caesaream peragendum, et si uterus sit corruptus et corruptivus toti corpori [1]).

Caput V.

Censura abortus.

Notae praeambulae.

Iam supra dictum est, Pium P. IX. renovavisse [2]) excommunicationem ab antecessoribus in procurantes abortum latam. Adde, quod ex sacris canonibus tale crimen sequitur etiam irregularitas. Ideoque nobis de hisce nunc tranctandum, nempe: I. de excommunicatione et II. de irregularitate in abortum procurantes lata. Sit ergo:

Sectio I.

De excomunicatione latae sententiae, quae abortu incurritur.

»Pianum caput cum Xisti V. et Gregorii XIV. Constitutionibus conferenti illico apparebit, in nonnullis cum utriusque convenire, in aliis vere diserepare.

Et 1°, cum Pius Papa IX. simpliciter edixerit »procurantes abortum«, distinctionem eliminavit foetum animatum inter et inanimem, ita ut nunc statuta poena pro abortu quolibet incurratur. Qua in re quamvis Pius IX. ad Constitutionem Sixtinam accedat, non tamen ea ratione, quod distinctionem inter foetum animatum et inanimem admittat, sed eo, quod crimen uticunque punire intendat

2° Piana Constitutio cum Gregoriana Constitutione in eo concordat, quod Excommunicationem unis episcopis reservat; in hoc autem recedit a Xisti V. decreto.

3° Tum Xistus V. tum Gregorius XIV. nedum procurantes abortum censura percusserant, sed complices omnes atque cooperatores. At Pius IX. unos procurantes excommunicat; in quo mitiorem prae antecessoribus sese exhibuit.

4° An vero minorem sive scientiam sive contumaciam requirat, ut putant e commentatoribus nonnulli, suo loco videbimus [3]).«

Sed de hisce aliisque emergentibus quaestionibus nobis nunc tractandum, nempe quid requiratur ut procurantes abortum excom-

1) cf. *Thomas* II. 2. q. 65 a. 1 et *Capellmann*, Pastoralmed., pag. 24.
2) sub d. 12. October 1869.
3) *Pennachi*, l. c. pag. 11 seqq.

municationem latae sententiae incurrant, quoad 1º conceptum abortus, 2º obiectum abortus, 3º procurantes, 4º rememedia (quibus perpatratur) et 5º effectum sequutum. Sit

Conceptus abortus.

Recurrendum est imprimis ad conceptum abortus. Abortus nempe est expulsio foetus vivi immaturi ex utero matris vel praematura expulsio vivi foetus ex utero matris. Quando haecce praematura eiectio intelligenda sit, physiologi indicant. Qui omnes cum affirment infantem duodetrigesima gestationis hebdomade elapsa posse seclusam a matre vivere[1]), non incurritur excommunicatio 1º si post hunc graviditatis terminum ex rationabili causa partus praematurus inducitur.

2º Item non incurri videtur censura, si mulier, ex malitia, v. g. ut infans mox moriatur, partum praematurum provocat, post duodetrigesimam graviditatis hebdomadem, quia hic non est abortus sensu stricto, et odia restringenda.

3º Non plectitur censura, qui operatione sectionis caesareae foetum in lucem profert.

4º Non incurri videtur censura etiam tunc, quando, ut supra in indicatione unica abortus a. cl. *Capellmann*[2]) admissa vidimus, salus matris vel et matris et infantis imprimis altero gestationis medio i. e. post vigesimam hebdomadam — vix gestatio primo medio causa fieri potest talis calamitatis, — nullo modo nisi abortu dixerim indirecto procurari possit, ita ut hoc remedio omisso ambo certe pereant neque infanti in utero matris baptismus impertiri possit. Rationes sunt supra allatae.

Omnino non incurritur censura in abortu indirecto ex iusta et rationabili causa inducto. Ubi enim non culpa, ibi etiam non poena[3]).

5º E contrario censuram excommunicationis latae sententiae incurrere videtur is, qui foetum immaturum in utero matris perforat et dein extrahit[4]), cum sit hoc re et intentione procuratio abortus. Cum autem aliter judicet *Januarius Bucceroni*[5]) et odiosa re-

1) *Schroeder*, l. c. pag. 54.
2) pag. 247 et seqq.
3) Dr. *Fr. Heiner*, Die kirchlichen Censuren etc. Paderborn 1888. pag. 3.
4) cf. Dr. *Heiner*, l. c. pag. 246 et Dr. *Goepfert*, De excommunicatione et irregularitate ex abortu oriunda in Ephemeridi quae dicitur: Theologisch-praktische Quartalschrift etc. Linz 1886. pag. 373.
5) *Januarii Bucceroni* S. J. Commentarius de constitutione »Apostolicae Sedis« secundum omnes decisiones ss. Rom. Congg. Romae 1886. n. 14, D'Annibale Commentarius n. 153. Besurdi Praxis Confessarii. II. n. 1263, 884.

stringenda sint, videtur, sequi posse mitiorem sententiam ideoque eximere talimodo abortum procurantes a censura.

Obiectum abortus.

Obiectum abortus, ut incurratur censura, est foetus vivus in utero matris existens. Unde in excommunicationem latae sententiae Ordin. reservatam non incidit:

1º quicunque ante conceptionem personalem i. e. priusquam semen virili in vas muliebre emissum occurrerit ovo muliebri idque penetraverit, semen viri vase muliebri quoquo modo vel quavis manipulatione expurgat, ne concipiatur, licet graviter peccet, excepto illo iam supra dicto casu, in quo id perpetrat mulier vi oppressa;

2º qui expellit ex utero matris molas, quae interdum in utero mulieris inveniuntur, etiamsi expulsionem molarum induxerit intentione, abortum procurare, quoniam mola putabatur infans et demum effectu secuto mola qua talis cognoscebatur. Ratio, quia deest obiectum verum abortus; adest quidam abortus, sed tantum formaliter, non autem materialiter[1]);

3º qui eiicit foetum iam mortuum, quamvis procurans nesciebat vel non certo sciebat, eum iam defunctum esse, sed effectu sequuto ex qualitate foetus, v. g. incepta iam putredine, certo illud concludi potest. Ratio ut modo antea. Aliter si foetus vivus in incipienda procuratione abortus moritur demum, quo in casu excommunicatio incurritur.

4º Non incurritur censura, si adest dubium facti, v. g. si dubium rationabile, num id, quod ex matris utero eiectum fuerit, sit mola aut foetus quovis modo corruptus[2]).

5º E contra »in hoc articulo nulla fit, ut iam supra adnotatum, distinctio inter foetum animatum vel inanimatum atque ideo neque nos distinguere debemus[3]).« Usque ad annum 1869 res secus se habebat, cum *Gregorius XIV.* in bulla »Sedes Apostolica« abstulerat irregularitatem et excommunicationem pro foetus inanimati quas tulerat *Sixtus V.*, reliquerat vero tam irregularitatem quam excommunicationem Papae reservatas pro abortu foetus animati, modo quoad excommunicationem concesserat facultatem ab ea absolvendi tam Episcopis quam aliis[4]).

1) *Schüch*, Handbuch der Pastoral-Theologie, 6. Aufl. Linz 1882. pag. 667.
2) Dr. *F. Heiner*, l. c. pag. 12
3) *Avanzini*, De Constit. Apostolicae Sedis etc. commentarii. Romae 1872. n. 29. pag. 108.
4) *Alphons.*, l. c. l. IV. n. 395.

Procurantes.

Quis procurans abortum intelligatur ideoque excommunicationem incurrat, auctores non plane consentiunt. Unde uberius I. de subiecto censurae et II. de conditionibus quoad subiectum censurae.

I. Subiectum censurae colligi debere videtur ex Constitutione *Sixti V.*[1]) quae incipit: »Effraenatam,« ideoque censurae subiacent »omnes et quicunque tam viri quam mulieres cuiuscunque status, gradus, ordinis ac conditionis etiam clerici saeculares, vel cuiusvis ordinis Regulares, quavis dignitate et praeeminentia ecclesiastica vel mundana fulgentes, qui . . . per se aut interpositas personas abortus seu foetus . . . eiectionem procuraverint.«

Quare incurrit excommunicationem: a) qui per se, i. e. ipse abortum procurat, quicunque est, ergo et mulier praegnans, quae quavis ex causa hoc peccatum in se ipsa commiserit[2]); medicus[3]), qui proprio mortu in muliere praegnante, excepto, ut videtur, casu supra allato, abortum, perpetrat, nisi alia ex ratione medico emergunt circumstantiae excusantes peccatum grave formaliter — v. g. indeliberatio —; nam constitutio Piana non distinguit inter procurationem abortus libidinis tautum causa et necessarii, ut aiunt, remedii salutis uxoris causa.

Quod specialiter spectat ad mulieres in se ipsa abortum procurantes »non minoribus difficultatibus . . . implicita . . . quaestio reperitur, qua doctores quaerunt: utrum inter procurantes abortum mulier praegnans sit recensenda ideoque excommunicationi Pianae subiicienda. Atque tum in veteri tum in novo iure Doctores discordias agunt. In veteri quidem iure *Bonacina*[4]), cui et alii subscripserunt, affirmabat mulieres praegnantes, quae abortum procurassent, excommunicationi subiectas fuisse, quia textus loquitur non solum de cooperantibus, verum etiam, de iis quae vel ut principales vel ut sociae consciaeve ad tale crimen committendum opem, consilium, favorem etc. contulerint; legem autem manifestam esse: ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint. Non esse autem excipiendum, quod in hac §. 1 Xistus abortum procurantibus poenas tantum homicidii imponat, non autem excommunicationem; hanc enim imponit §. 7, qua omnes complectitur, qui vel quae vel ut principales vel uti sociae abortum procurent.

1) d. d. 29. October 1588.
2) Dr. *Heiner*, l. c. pag. 246.
3) cf. tamen *Besurdi*, l. c. II. n. 884. 1262. cf. infra pag. 382.
4) de excom. in part. q. II. punct. IX. n. 13.

Addendum, mulieres praegnantes plerumque abortus causam principalem esse cum, si ipsae nollent, ille procurari nullo modo posset, nisi ignorantia supposita. Quo ergo iure ab Xisti excommunicatione eximentur cum ipsa censura principales plectat? At alii, quos inter Cardinalis de Lugo et Alphonsus de Liguoro allatas rationes posthabentes praegnantes mulieres ab excommunicatione eximebant; Xistus V. dum §. 1. et 5 de muliere praegnante loquitur, non excommunicationi, sed poenis tantummodo temporalibus eam submittit; dum vero §. 7. procurantes abortum excommunicationi subdit, ita loquitur, ut praegnantes mulieres comprehendi non videantur« . . .[1]).

Item in novo iure. Commentatores alii Constitutionis Pianae mulierem praegnantem in se abortum procurantem excommunicationem subtrahere conantur; hi vero sunt: *Cretoni* adnotat. ad *Gury* tom. II. pag. 618, *Ballerini* ad *Gury* tom. II. pag. 1004, *Vecchiotti*, Instit. Canonic. tom. II. pag. 363, Del Vecchio in Theol. mor., *Scavini* tom. I. pag. 719, scriptores Ephemeridum vulgo Nouvelle Revue Theolog. tom. XI. pag. 320, *Ninzatti*, Theolog. moral. tom. I. n. 401 aliique[2]) et ipse *Pennachi* sicuti et *Lehmkuhl*[3]), qui nituntur imprimis duobus argumentis, nempe 1° quia in veteri iure iam et consuetudine mulieres praegnantes exemptae fuerint: at hoc dubium est, et ipse Alphonsus hanc sententiam tantum valde probabilem et attenta ratione intrinseca probabiliorem appellat, contrariam autem communissimam (l. c.)[4]), et 2° quia Pius Papa IX., ut omnes consentiunt, limitare voluit censuras. Sane, sed non omnes; unde Piana Constitutione concedunt evanuisse distinctionem inter foetum animatum et inanimatum. Quare alii Commentatores, et ut videtur speculative recte asserunt, verbo: »procurantes« comprehendi et mulieres praegnantes, nisi aliud quid excusat, v. gr. timor nimis gravis; ignorantia, carentia rationis, dolores vehementes etc. Inter quos habes cl. Commentatorem Patavinum, Reatinum[5]), Avanzinium,

1) *Pennachi*, l. c. pag. 17 et 18 seqq. et *Alphonsus*, l. c. IV. n. 395.
2) apud *Pennachi*, l. c. pag. 20.
3) l. c. II. 970, 1.
4) Iuvat transcribere ex S. Alphonso rationem, qua adductus Papa exemisse praesumitur praegnantes ab excommunicatione: quia forte compassus est infirmitati foeminarum, quae dum impulsae a vehementi timore damni adventuri haec medicamenta sumunt, et dum a tanto facinore non abhorrent facile etiam excommunicationem parvi penderent, et ideo Pontifex ad vitandum novum animae laqueum et alia pericula, praesertim sacrilegarum confessionum eas nolint comprehendere.
5) ed. a. 1880.

Dr. *Heiner*[1]), *Bucceroni* aliosque. Ratio[2]): »quia illa Sixti V. et Gregorii XIV. excommunicatio non ferebatur generaliter in omnes procurantes abortum, uti indistincte fertur praesens excommunicatio Const. Apost. Sed., sed dumtaxat in opem consilium, favorem, potionem etc. dantes etc., quae quidem respiciunt, qui mulierem adiuvant, minime vero mulierem adiutam«; vel uti adversarius huius sententiae cl. ille *Pennacchii* argumenta componit[3]):

»1° quia lex generalis est et cum non distiguat, nec non distinguere debemus,

2° quia aperta est legislatoris voluntas abortum impedire: quo igitur pacto supponi potest voluisse matres ab excommunicatione eximi, quae plerumque aut sunt aut certe esse possunt abortus causae principales?

3° quia cum in Piano capite non comprehendantur faventes, consulentes, si ipsae mulieres praegnantes excludantur, lex impune violari poterit. Possent enim principales suadere mulieri, ut specialibus mediis abortum procuret, atque ita omnes excommunicationem effugerent, et legem inutilem redderent[4]).

4° argumentum desumptum ex vetere iure.«

Tamen dicendum est, cum dubia sit haec quaestio, eximi in praxi posse mulieres iuxta illud s. *Alphonsi*[5]).

b) Incurrit censuram, qui »per interpositas personas« abortum procuraverit; nam, quod quis per alium facit, per se ipsum facere videtur. Quoad cooperantes abortum, mihi placet, exceptis mandantibus, optime dilucida huius quaestionis solutio cl. *Januarii Bucceroni*[6])... »Unde, ait laudatus hic auctor »quaestio movetur, an cooperantes ope, consilio vel alia ratione excommunicationem etiam nunc contrahant, cum nulla fiat in Constitutione »Apostolicae Sedis« distinctio, sed procurantes simpliciter et universi excommunicatione feriuntur. Verum distinguendum videtur. Vel enim cooperantur physice vel moraliter tantum. Si prius, videndum est, an immediate et proxime ita ut participes sint, ipsius actionis physicae qua infertur abortus, potionem v. g. propinando; nam tunc vere et proprie illum procurant; an e contra mediate et remote, v. g. praeparando tantum instrumenta, aut

1) l. c.
2) *Bucceroni*, l. c. n. 14.
3) l. c. pag. 19.
4) v. g. effugeret meretrix excommunicationem praegnans libidinis causa in se procurans abortum ut in posterum vitio vacet.
5) l. c. n. 67. cf. supra *Lehmkuhl*.
6) l. c. n. 77.

pharmaca, et tunc vere et proprie abortum non procurans, sed ea dumtaxat praestant, quibus procuretur abortus. — Si posterius quocunque modo cooperantur sive mandato sive consilio aliave ratione, hi sane non sunt proprie procurantes, sed mandantes procurare, consulentes etc. De consulentibus nulla sane quaestio est. Communiter dicunt D. D., eos hanc excommunicationem non incurrere. De mandante et timorem incutiente alii affirmant, quia vere sunt per alios abortum procurantes; alii negant, quia in sensu omnino obvio et naturali procurantes abortum sunt per seipsos, ut aiunt, abortum procurantes, unde in vetere iure, quia legislator et illos comprehendere voluit expressit: qui per se aut per interpositas personas ... procuraverit cf. *Ithurr* cas. 39.«

Quod spectat ad nos, assentimur quoad mandantes non *Bucceroni*, sed sententiae *Jos. Pennachi*, qui tenet mandantes feriri excommunicatione. »Nemo« ait[1]) »autem dubitare potest, quin sub praescripto tenore verborum comprehendantur tantummodo mandantes .... Non nos equidem latet, a plerisque etiam mandantem post Pianam constitutionem ab excommunicatione excludi; at profecto sine ulla, ut nobis videtur, veritatis specie. Primo enim Pius Papa IX. adhibet idem verbum procurantes, quod Xistus V. in relato superius testimonio adhibuit, at inter procurantes in huius Constitutione absolute recensendos esse mandantes, omnino patet tum ex vi verborum: per se aut interpositas personas; tum quia Xistus alios cooperatores Constitutionis decursu diserte expressit; quod postremum Pius Papa IX. praetermisit; hic ergo dicendus est instaurasse Xisti legem quoad citatam paragraphum atque verbum »procurantes« adhibuisse eo sensu et extensione, qua adhibuerat Xistus. Igitur etiam sub Piana constitutione mandantes excommunicatione percelluntur, cum haec verba cum veteribus canonibus plene concordare reperiantur et vitanda sit iurium pugna, insuper negari non possit, mandantes inter procurantes abortum vere et proprie recenseri posse et debere, cum ipsi sint causa principalis moralis abortus ipsius, sine quibus abortus secutus non fuisset; nemo demum unquam affirmaverit, verbum procurare innuere actionem physicam tantum; etenim qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, ut alia in re praetermittamus.«

»De cetero quamvis aliquis e commentatoribus[2]) mandantem excommunicatione eximat, ceteri autem et praestantissimi illum

1) l. c. pag. 13.
2) Ex gr. Daris Tractat de censuris n. 241.

submittunt [1]). Consensus autem doctorum, cum praesertim rationibus etiam intrinsecis fulcitur, certitudinem moralem inducit.«

Alia adhuc relinquitur difficilis quaestio expresse tractanda, nempe num »interpositae personae« i. e. executores, mandatarii subiaceant excommunicationi an ex ea eximendi sint. Patroni illius sententiae, nempe tales subiacere excommunicationi, sunt: Scriptores de la Nouvelle Revue et commentator ille Patavinus. Scriptores de la Nouvelle Revue ita argumentantur [2]): »Hi, mandatarii, realiter procurant abortum; ponunt enim actum abortum producentem. Verba Constitutionis Xisti V. simpliciter exigunt, uti causetur abortus: foetus eiectionem procuraverint. At hi, qui matri potionem porrigunt, quae foetum interficit, medici, qui eum in utero matris concidunt, ut extrahant, nonne sunt abortus auctores, nonne illum procurant stricto sensu, quamvis de alterius agant mandato? Nulla igitur adest ratio eos ab excommunicatione eximendi.«

Et Commentator ille Patavinus, ita ratiocinatur [3]): »Reatinus unus (?) arbitratur non subiacere censurae eos, qui pro alio seu alieno nomine agunt, sed solum eos, qui nomine proprio abortum procurant. Haec mihi opinio non placet. Mandatarius sequidem dum iussa aliena exequi ac complere parat, nonne directe et de industria quaerit, ut foetus extinquatur atque eiiciatur? Nonne in talem finem apta adhibet media? Ergo vere et proprie procurat abortum. Illud unum interest, quod iubens abortum procurat per alium, et mandatarius procurat per se quamvis non pro se. Hoc tamen minime impedit, quominus, qui nomine alieno agit, inter procurantes vere et proprie sit recensedus.«

Patroni alterius sententiae, nempe mandatarios et exsecutores non percelli excommunicatione, sunt *D'Annibali*, Commentator ille *Reatinus* [4])

1) Praecipuos nominabimus: *Avanzini, D'Annibali* Scriptores Ephemeridis: La nouvelle Revue Theologique tom. XI. pag. 324. §. 22. *De Varteno*, Theolog. moral. tom. II. pag. 494; adde Dr. *Heiner*, l. c. pag. 247.

2) tom. XI. pag. 325 n. 25.

3) §. 350.

4) scribens (l. c. §. 153) . . . »imo nec (incurrit excommunicationem), qui iussu aut mandato alterius facit, ut mulier abigat; nam procurantes accipere hoc loco debemus, ut in vetere iure, non eos, qui pro alio, sed eos qui sive per alium curant, faciunt, ut mulier eiiciat. Displicet haec sententia Com. Pat. §. 350; nam et hi, qui id agunt iussu, mandato alterius, ut mulier eiiciat, vere procurant abortum. Ratio brevis et urgens. Nihilominus responderi potest, Xisti Constitutionem illis verbis: procurantes abortum sive per se sive per alios. — non obscure procurantes ab exequutoribus destinguere: procurantes vero hic accipere convenit prout illic. Caeterum »quam recte id dixerim viderint sapientes.«

et *Heiner* [1]) et imprimis *Pennachi* [2]), evertens rationes sententiae contrariae et suam sententiam solidis, ut mihi quidem videtur, argumentis defendens.

Et ut dicam, quid hac in quaestione teneam, placet mihi sententia horum auctorum. Nam aliis omissis »etsi immediate et personaliter agat (mandatarius) nec per se nec per alium procurat abortum, quod ius requirit, sed pro alio eiusque nomine« (Reat.), ita ut non sint de excommunicatione damnandi mandatarii usque dum per authenticam declarationem contrariam constet [3]) »quoniam, quum . . . finis praesentis Constitutionis sit, ut limitentur antiquae censurae, haec ipsa Constitutio in dubio semper benigne est interpretanda, ita ut pro hac benigna interpretatione non solum adsit generalis ratio, quod odia sunt restringenda, verum etiam ratio specialissima desumpta ex ipso scopo talis Constitutionis [4]).« Quid in praxi, clarum.

II. Quod deinde pertinet ad conditiones, quibus in procurante existentibus censura in abortu procurato contrahitur, animadvertendum esse, procurare esse studiose et ex industria aliquid quaerere [5]). Unde necesse est, ad contrahendam censuram, ut procurandi adsit directa intentio abortum faciundi sive ut finis sive ut medium [6]). Quamobrem excommunicatio contrahitur tantum ex abortu voluntario directe et in se, non contrahitur ex abortu voluntario indirecte et in causa, quamvis ex illicita actione prodierit, veluti siquis mulierem praegnantem graviter percusserit ex ira, odio, zelotypia etc. [7]); eoque minus contrahitur ex abortu admisso »sola culpa« [8]).

Quare licet medico, ita ut non incurrat censuram, mulieri de vita periclitanti medicinam porrigere, qua in se salus matris recuperetur, non autem abortus procuretur, etsi per accidens sequitur [9]).

Ex rationibus adhuc allatis sequitur: incurrit censuram

»1⁰ mulier, quae experta est, si pondus grave portet, (adde: vel gravida saltet etc.) se abortum pati, studiose tamen ab eo ferendo non abstinuit (ex fine, ut abortiret et abortiverit ex ea causa)

1) l. c. pag. 247.

2) l. c. pag. 14 seqq.

3) *Pennachi.*

4) *Bucceroni*, l. c. n. 4.

5) *Sporer*, l. c. §. 743.

6) *Heiner*, l. c. pag. 246.

7) *Sporer*, l. c. §. 738, 739.

8) *D'Annibali*, l. c. n. 151. pag. 89. *Heiner*, l. c.

9) *Heiner*, l. c.

»2° vir ille, qui perculit graviter praesertim circa renes (prout id periculosissimum foetui intra uterum clauso iudicant medici) mulierem praegnantem, dum praevidet, facile abortum inde secuturum eumque intendat, cum sic censeatur causa abortus eumque procurare;

3° filia, quae indicavit secreto matri se concepisse: mater autem ad tuendum honorem familiae potiones, medicamenta et similia filiae porrigit, vel aliud quid (ex supra dictis) facit, unde foetus ex utero . . . eiiciatur . . .

Econtra hunc casum non incurrit »1° mulier, quae nunquam ex onere portato (vel saltando) abortum se pati experta est pondus quoddam levavit et praeter intentionem abortum fecit . . . 3° illa cui ab amasio inscie propinatum fuit poculum, ex quo abortus secutus fuit, incurrit tamen hunc casum amasius procurans; 4° non ille, qui medicinam ad partum facilitandum porrexit, abortum non intendens, etiamsi foetus ex utero prodeat mortuus; 5° nec ille qui leviter castigat, uxorem, quae deinde furore percita abortum patitur; 7° nec illa, quae repentina passione gaudii vel timoris passa est abortum . . . 10° nec ille qui nesciens mulierem esse gravidam, dat ei quandam potionem, propter quam illa postea facit abortum, quia hunc studiose non procurat [1]).«

III. Ut censura incurratur abortu procurato denique requiritur contumacia, contemptus censurae et legis [2]). Unde omnes: »non contemnit, qui ignorat.«

»Contumacia autem minuitur vel tollitur propter: 1° ignorantiam, 2° metum, 3° monitionem non praemissam (quod tamen hic non incidit), 4° poenitentiam post factum, sed ante eius ultimum effectum seu complementum secutam [3]).«

1. Quod pertinet ad ignorantiam, *Heiner* optime adnotat [4]), nunc omnes censura percelli, qui directe abortum procurant, non tantum, ut antea, scienter procurantes, ita ut ignorantia in hoc casu diiudicanda sit ut in aliis.

---

1) *J. L. F. X. Schrodt,* de casibus reservatis tractatus canonic.-theolog. Wirceburgi 1732. pag. 89, 90.

2) *S. Alphonsus,* l. c. l. VII. n. 43.

3) *Lehmkuhl,* l. c. vol. II. n. 865.

4) l. c. pag. 244.

Omnes quidem D. D. consentiunt, excusare a censura ignorantiam invincibilem (adde; inadvertentiam et oblivionem censurae) [1]) ignorantiam simpliciter vincibilem sed non graviter culpabilem [2]). Unde non censuram incurrerit procurans abortum, nesciens tale scelus legi poenali ecclesiasticae positivae repugnare, etsi sibi conscius esset, id repugnare legi naturali et divino. (Alphons.) Dissentiunt autem D. D. quoad ignorantiam vincibilem graviter culpabilem. *S. Alphonsus* [3]) ita dissolvit: »Quaer. I. An possit dari aliqua ignorantia vincibilis, quae excuset a censura, licet non excuset a peccato gravi? Affirmant *Sanch.* de matr. l. 9. d. 32. n. 31 ac *Pal. Dian.* etc. ap. *Salm.* ibid n. 196, dicentes, posse dari ignorantiam, quae non sit crassa seu supina et tamen sit graviter culpabilis: nam ignorantia crassa involvit summam negligentiam, ergo (ut aiunt) ignorantia, quae accidit ob magnam sed non summam negligentiam, erit mortalis, sed non crasssa et ideo excusabit a censura, ut inferunt ex c. 2. De condit. in 6, ubi ignorantes excusantur a censura (ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes), dum tamen ignorantia crassa non fuerit aut supina (Lib. 1. tit. II. cp. II). Veruntamen merito contradicunt *Laym.* c. 20. n. 20; *Bon.* p. 1. n. 10. *Boss.* de usu matr. c. 5. n. 85. cum *Suar.* et communi ac *Salm.* ibid. n. 197. cum *Vasq.* Con. Corn. etc., qui asserunt, praedictam sententiam vix esse practice probabilem, cum vix inveniri possit ignorantia graviter culpabilis, quae non sit etiam crassa. Crassa enim evenire potest non solum, quando nulla diligentia sed etiam quando valde parva adhibetur.«

Horum scilicet *Laymani* etc. sententiam inter alios et *Heiner* [4]) sequitur, et *Lehmkuhl* [5]) qui optime prosequitur: »Attamen id addi debet, satis esse confusam quandam poenae notitiam, non requiri accuratam censurae eiusque effectuum cognitionem: quare satis est, nosse, Ecclesiam certum illud crimen speciali poena prohibere.« Quum igitur adhuc sub iudice lis sit, licere in praxi benigniorem sententiam amplecti videtur.

Econtra minime dubium est ignorantiam crassam seu supinam et affectatam in nostro casu non excusare a censura, cum desit

---

1) *Heiner,* l. c. p. 12.

2) *Heiner,* l. c. p. 8.

3) l. c. l. 7. n. 45.

4) l. c. pag. 9.

5) l. c. vol. II. n. 865.

formula: qui vel temere, vel scienter, vel consulto vel ausu temerario etc. [1]).

2. Metus (in nostra causa, quia non dicitur: sponte etc. tantum) gravis excusat a censura; unde *Alphonsus* [2]) . . »Imo gravis metus excusat a censura incurrenda, etiamsi res alias iure divino sit prohibita; et ideo, qui ob gravem metum patraret homicidium vetitum sub censura, peccaret quidem, sed non incurreret censuram, quia non peccaret contra ius Ecclesiae, contra cuius potestatem specialis iniusta contumacia ad censuram requiritur, ita *Pal.* d. 1. p. 8. n. 9; *Suar.* d. 4. s. 3 n. 14; *Bon.* q. 2. p. 3. n. 2 et *Salm.* ibid n. 204 cum Con. Cand. *Henr.* etc.« Unde facile accidere potest, ut feminae gravidae procurantis animus, si eam censurae subiacere re velis, metu gravi vitae temporalis admittendae, vel quod persaepe fit, infamiae nimiae ex partu assequendae vel alius perquam magni incommodi v. g. ex patre nimis severo imminentis, ita perturbari possit, ut illi abortus perpetratus imputari nequeat, ideoque illa censuram non contrahat [3]) »item excusatur a censura mulier mesu gravi impulsa etsi forte non excusari potest a culpa [4])« *Heiner* bene adnotat, timorem infamiae excusare a censura tantum in mulieribus honestis, non autem meretricibus etc. [5]) et iam Xistum V. mulierem, quae impulsa timore infamiae abortum procurasset, a censura exemisse.

3. Item excusat a censura resipiscentia a peccato iam inchoato [6]). »Si quis post delictum admissum ante effectum secutum recedat a contumacia, i. e. si ipsum delicti poenituit, si studuit effectum impedire, effugit censuram; nam quorsum medicina sanato morbo? Veluti si quis abortivum dederit puellae praegnanti, et continuo id doluit: et si fieri potest antidotum praebuit videtur ut talis excusetur a censura [7]).« Tamen adnotandum est, meram contritionem sceleris inchoati non sufficere, sed resipiscens debet facere quod potest, ut abortus non sequatur ideoque et v. g. mandatum revocare.

Media abortus et effectus.

Ut quis ex provocatione abortus re vera subsequuti censuram contrahat, requiritur quoad media:

1) *Heiner*, l. c. pag. 10. *Alphons.*, l. c. 7. n. 47, 48: cf. etiam *Lehmkunl*, l. c. vol. II. n. 866.
2) l. c. l. 7. n. 46.
3) *D'Annibali*, l. c. n. 153; *Vecchio*, I. n. 621; *Suarez*, de cens. 4. 13. 4.
4) *Reatinus*, n. 8.
5) l. c. pag. 246.
6) *Lehmkuhl*, l. c. II. n. 868; *Alphonsus*, l. c. 7. 40; *Salm*, XI. 1. 150. *Heiner*, l. c. pag. 6.
7) *D'Annibali*, l. c. n. 7 et nota.

1° ut sint ex sese ad hoc apta, et 2° ut ex eis solis vel tantum principaliter sit abortus secutus. Non incurrat igitur censuram qui adhibet ad abortum procurandum media praedispositiva, quae enumerat *Debreyne* [1]), quia talia media abortum non producunt ex sese; tamen advertendum, respiciendam esse naturam gravidae, ita ut in aliqua tale medium praedispositivum fiat effectivum, quo in casu contrahitur excommunicatio, v. g. si femina experta est, se alimento aliquo usa abortum pati solere et in tali intentione gravida sumit et abortit.

Quod pertinet ad media ex sese tendentia et apta ad procurandum abortum »illud non interest, utrum (abortus) sequutus fuerit ex causa physica v. g. ex ictu, veneno, oneribus mulieri impositis etc.; an ex causa morali, i. e. ex terrore praegnanti incusso (*Carmignan* §. 195) [2]).«

Quare *Xistus V.* censura vinxit: »omnes et quicunque, . . . qui . . . abortum praecuraverint percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri praegnanti impositis ac aliis etiam incognitis vel maxime exquisitis rationibus, ita ut reipsa abortus inde secutus fuerit.«

Abortum deinde, ut censura quis percellatur, ex medio adhibito secutum oportet solo vel principaliter. Quare non incurritur censura, a) si constat vel valde probabile, abortum vi ipsa morbi evenisse, etsi medium sumptum aliquid id accelerarit [3]); b) si dubium est, utrum ex adhibito medio an ex quavis alia causa v. g. ex morbo mulier abortiverit, ut recte diiudicasse videtur *Avanzini* [4]) qui scribit: »Hic quaeri potest, quid esset sentiendum, si abortus sequutus quidem fuerit, sed ex alia accidentali causa, non vero ex causis studiose adhibitis, incurrentne procurantes hanc censuram? Respond. Non videntur hanc censuram incurrere, si tamen satis constaret vel media studiose adhibita fuisse inefficacia, vel constaret effectum ascribendum esse causae accidentali. Articulum praesentem aperte quoque declarant relata verba Sixtinae Constitutionis, ita ut abortus reipsa secutus fuerit; quae verba coniunctur cum mediis studiose adhibitis, tamquam effectus cum sua causa efficiente.« Econtra non differt, utrum abortus ex mediis adhibitis secutus fuerit illico an postea, dumtaxat secutus fuerit ex mediis adhibitis. Si quis ex. gr. mulieri praegnanti quotidie non ita gravia onera imponat, ut abortum illico

1) l. c. p. III, ch. I. §. III. pag. 203.
2) *D'Annibali*, l. c. n. 151.
3) *Gury-Ballerini*, l. c. I. n. 402 et *Antoine*, l. c. I. pag. 416.
4) l. c. pag. 109.

producant, attamen certe productura sint post mensem. Hic enim vere, proprie et directe aliquid ex industria vult et quaerit, ergo[1]) censuram incurrit.

Restat demum ultima eaque prima conditio, qua dificiente nunquam, etsi aliae omnes adsint conditiones, in procuratione abortus censura contrahitur, nempe debet effectus sequutus esse ex labore impenso. Non incurritur, ergo excommunicatio 1° si effectus omnino non sequutus est, quamvis medicamenta, potiones aliaque efficacissima remedia ad abortum inducendum adhibita sint[2]), et 2° si rationabiliter dubitatur, num subsequntus sit effectus[3]). In omnibus aliis casibus procurans abortum effectu secuto contrahit excommunicationem latae sententiae. Effectus autem tum certe secutus censeri potest[4]), si fluxus sanguinis menstruus, qui conceptione facta cessaverat, denuo promotus est. Tamen animadvertendum est, censuram etiam effectu secuto non incurri in »resipiscentia a peccato iam inchoato« cf. supra.

Nota 1. Iuxta Decretum *Clementis Papa VIII.*[5]) quod incipit: »Sanctissimus Dominus« Superiores Ordinum religiosorum sibi reservare possunt, quoad absolutionem: . . . 8° Procuratio, consilium vel auxilium ad abortum foetu animati etiam effectu non secuto.«

2. In nonnullis dioecesibus Ordinarii potestate ordinaria hunc casum sibi reservaverunt et plerumque censura multaverunt etiam conatum et consulentes etc. v. g. in dioecesi Eystettensi[6]): »Ut autem abominabile peccatum procurationis abortus, quantum fieri potest, efficaciter reprimatur, Nos ex potestate ordinaria reservatione episcopali ligamus, qui animo procurandi, quocunque demum tempore a conceptione factum fuerit, causam aliquam etiam insufficientem posuerint percutiendo, sumendo, propinando, hauriendo, parando, consulendo aut applicando. Neque tamen hanc reservationem incurrit mater, quae labore vel quocunque alio modo absque intentione causam abortus licet graviter culpabilem praebuerit[7]).«

1) *Pennachi*, l. c. pag. 24.
2) *Pennachi*, l. c. pag. 23.
3) *Heiner*, l. c. pag. 13. cf. tamen *Lehmkuhl*, II. n. 970 distinguitur inter censuram et reservationem. Censura videtur incurri si effectus reapse secutus est, sed a procurante ignoratur, vel eo dubitetur, sed poenitens potest absolvi, cum neque ipse neque confessarius censuram certam cognoscat.
4) *Olfers*, Pastoralmedicin, pag. 72.
5) d. d. 26. Mai 1593.
6) Instruct. Pastoral. Eyst. pag. 186.
7) cf. Casus reservatos in dioecesi Argentinensi (c. 13), Basilensi (cas. 11), Fuldensi (c. 3), Herbpolensi (c. II), Metensi (c. 9), Spirensi (c. 6), Wormatiensi (c. 5) etc. etc.

Sectio II.

De irregularitate ex abortu incurrenda.

Praeter censuram excommunicationis viri procurantes abortum etiam contrahunt irregularitatem, quae est, uti constat, impedimentum personale, legibus ecclesiasticis statutum ordinem suscipiendi vel iam susceptum exercendi[1]). Leges autem ecclesiasticas in abortum latas[2]) *Xistus P. V.* renovaverat Constitutione supra memoratae d. d. 29. Oct. 1588 addens illud Concil. Tridentini decretum[3]) simulque omnes procurantes abortum subiiciens poenis contra homicidias voluntarios statutis[4]) non distinguens inter foetum animatum et inanimatum. »Constat Gregorium XIV. sub die 31. Maii 1591 Constitutione quae incipit »Sedes Apostolica« rigorem Constitutionis illius Xistinae temporasse et irregularitatem aliasque poenas a Xisto indictas in procurantes abortum foetus sive animati sive inanimis ad foetus tantum animatos limitasse[5]).«

Quod deinde attinet ad incurrendam irregularitatem ex provocatione abortus, requiruntur conditiones in explicanda excommunicationis censura allatae, nempe sit re vera praematura expulsio vivi foetus ex utero matris directa vi perpetrata.

Sed adnotantum est:

1. »Observandum est, irregularitatem aliasque poenas a Xisto V. in procurantes abortuu illatas a Pio IX. nullo pacto abrogatas fuisse ideoque adhuc vigere dicendae sunt, cum in Constitutione »Apostolicae Sedis« censurae quidem limitatae fuerint, non autem poenae, nullitates actorum, privationes, inhabilitates[6]).«

2. »In Betreff der Irregularität bleiben – da diese eine eigentliche durch Gesetz ausgesprochene Strafe — die alten Bestimmungen noch in Kraft, nach welchen diese nur eintritt, wenn die Procuration des foetus beim männlichen Geschlechte nach dem 40., beim weiblichen nach dem 80. Tage nach der Conception desselben verübt

1) *Boeninghausen*, De irregularitatibus. Monast 1863. sq. 3. fasc.
2) cf. Corpus iuris can. 8—10. C. 32. q. 2, c. 20. C. 2. q. 3; C. 20 X. de homicid. V. 12.
3) sess. 14. de ref. c. 7: qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat, sed omni ordine beneficio et officie ecclesiastico perpetuo careat.
4) cf. Corp. i. c. c. 4. 6—8. Dist. 50; c. 7—18. 24 X. de homic. volunt. v. casual. V. 2; c. unic. de homic. in Clem. V. 4.
5) *Pennachi*, l. c. pag. 11.
6) *Pennachi*, l. c. pag. 27.

wird. Im Zweifel, ob der foetus männlichen oder weiblichen Geschlechtes gewesen, spricht die Praesumption für das weibliche.« Ita Dr. *Heiner* cum omnibus supra in abortu artificiali citatis moralistis [1]).

3. »E contrario tamen advertendum, quamquam ex constitutione Pii IX. excommunicatio ad solos »procurantes abortum« restricta sit neque amplius ad tantummodo cooperantes extendatur, ad hos tamen extendi irregularitatem, siquidem huius ponae antiquitus latae mutatio facta non sit. Ita scite *Lehmkuhl*, l. c. II. n. 1003, 1012, 1013, 1015 [2]).

1) l. c. pag. 249; aliter *Pennachi*, l. c. pag. 28 sibi ipsi contrarius pag. 11; sequor mitiorem sententiam.
2) Dr. *Goepfert*, l. c. pag. 375.

Index.

Sectio II.

Caput V.

Sectio I.

Sectio II.